DE

JOANNIS CHRYSOSTOMI DIALOGO

QUI INSCRIBITUR

ΠΕΡΙ ΙΕΡΩΣΥΝΗΣ

λόγοι ἕξ.

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. COGNET

PARIS

IMPRIMERIE DE LA JEUNE MÈRE

L. WEHREL, Directeur

55, RUE DE LA POMPE, 55

—

1900

DE

JOANNIS CHRYSOSTOMI DIALOGO

QUI INSCRIBITUR

ΠΕΡΙ ΙΕΡΩΣΥΝΗΣ

λόγοι ἕξ.

DE

JOANNIS CHRYSOSTOMI DIALOGO

QUI INSCRIBITUR

ΠΕΡΙ ΙΕΡΩΣΥΝΗΣ

λόγοι ἕξ.

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. COGNET

PARIS

IMPRIMERIE DE LA JEUNE MÈRE

L. WEHREL, Directeur

55, RUE DE LA POMPE, 55

—

1900

D. A. PUECH

Grati animi pignus.

DE JOANNIS CHRYSOSTOMI DIALOGO

DE SACERDOTIO

PROOEMIUM

De Joannis Chrysostomi aureis libris de Sacerdotio (περὶ Ἱερωσύνης) disputare incipienti mihi aptum esse videtur definire primum quonam sensu vox illa sacerdotii subintelligenda sit. Prioribus quidem ecclesiae temporibus, sacerdotis nomen episcopis solis, utpote qui sacerdotii officiis fungerentur omnibus, indebatur. Presbyteri vero recitabant atque Scripturam enarrabant canonicam ceterisque sublimioribus functionibus episcopum adjuvabant. Cujus ad vicem interdum succedebant, tum in synaxi celebranda, si praesul abesset aut morbo laboraret, tum in baptismo ministrando aut imponenda poenitentia, si qua necessitas ingrueret. Minime ipsis ad populum concionis habendae

potestas saepe permittebatur. Hanc enim facultatem sui habebat episcopus solusque plerumque exercebat.

Verum posteaquam credentium numerus major atque major evasit ac in fines latiores dioeceses patuerunt, crevit et onus episcopi qui omnibus officii sui partibus haud jam par exstitit. Quapropter in consortium muneris constans vocavit presbyteros qui ex illo et ipsi sacerdotes vulgo appellari coepti sunt (1). Circa Chrysostomi tempora, hoc nomine sacerdotis episcopum decorare non omnino obsoletum erat. Quod ex testimoniis multis colligi potest. Ita sese habet Nazianzenus in illa praeclara oratione quam in laudem Basilii concinnavit (2) ; ita Augustinus qui *sacerdotem nostrum* Ambrosium appellare solebat (3). Quod idem et Chrysostomo placet ut liquet tum ex ceteris ipsius operibus, tum ex illo praesertim dialogo quem disserendum instituimus.

Primum non nobis tantum sumimus ut omnes expediamus difficultates quae circa hujus operis compositionem moventur. Sunt enim hujusmodi nonnulla

(1) Quarto jam saeculo is incessit mos ut in magnis civitatibus presbyteri ecclesiis regendis praeficerentur : Ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι, καί κατ' ἰδίαν ταύταις ἐπιτατεγμένου εἰσὶ πρεσβύτεροι διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων.

Epiphan. Adversus haereses. Lib. II, tom. II. Haer LXIX. Cf Athanas. Adversus Arianos. 20.

(2) Cf. quoque ejusdem Orationem funebrem in patrem.

(3) De Vita beata, 35.

quae, deficiente documentorum copia, satis certis argumentis definiri nequeant. Nec absurdum fore videtur si quis existimet eadem, quamvis in iis explicandis multo cum sudore fuerit elaboratum, diu quoque apud vel doctissimos esse disceptanda.

Quod ad res in dialogo tractatas attinet, nobis non est institutum eas ordine ac omni ex parte exponere. Ea quidem leviter attingimus quae ad theologiam dogmaticam et moralem magis respiciunt. In iis praecipuum ponimus studium quae Chrysostomi illiusque aetatis maxime sunt, haud tamen communi disciplina de sacerdotio neglecta.

Summa quoque ope in id incumbimus ut manifestiorem faciamus operis praestantiam. Quod quidem facile effici potest si quis hos libros conferre vult tum cum ceteris ad eamdem materiam pertinentibus, tum cum aliis auctorum vel profanorum operibus quae eadem orationis forma includuntur. Hinc forsan eveniet ut haec nostra commentatio quam crederes scholasticae disquisitionis prae se ferre speciem, ad legentium delectationem evaserit magis magisque ad hujus disputationis usum fuerit instituta.

Duplex est eorum genus qui de hoc dialogo aliquid protulerunt. Jam omnes fere qui de Chrysostomi universa scripserunt vita, paulo longius iis libris de sacerdotio immorati sunt (1). Quod quidem ex eo in-

(1) Inter recentiores nominentur : G. Hermant. *La vie de S. Jean Chrysostome.* 1664, Paris, in-4°.— Tillemont. *Mémoires pour servir à l'hist. eccl. des six premiers siècles de l'Église.* T. IX, Paris, 1695, in-4°. — Stilting. De S. Joanne Chrys. commentarius histo-

telligi potest quod opus illud, ut infra demonstrabitur, perpolitum est ac perelegans eamque vivendi institutionem sacerdotalem celebrat a qua numquam Chrysostomus abhorruit ita ut, nondum episcopus, haec tradidisse praecepta videatur ad quae postea vitam optime informaret.

Alterum genus eorum est qui curam circa hujus dialogi novas editiones impenderunt (1), e quibus nonnullae tanto apparatu critico totque annotationibus historicis ornantur ut iisdem de rebus disserenti maximam praebeant utilitatem ac adjumentum. Neque infitias ibimus nos quaedam ex iis operibus ad usus nostros devertisse ut has pangeremus disquisitiones quibus non plura praefati nunc incumbimus.

ricus : *Acta SS. Sept.*, t. IV, Antverpiae, 1753, in-fol. — Fabricius. *Harles Bibl.* Gr. VIII. De S. Joanne Chrys. — A. Neander. *Der heilige Chrysostomus und die Kirche, besonders des Orients*, Berlin, 1821, in-8°. — D. Albert. *S. Jean Chrys. considéré comme orateur populaire*, Paris, 1858, in-8°. — E. Martin. *S. Jean Chrys., ses œuvres et son siècle.* Montpellier, 1860, in-8°. — Aimé Puech, *S. Jean Chrysost. et les mœurs de son temps.* Paris, 1891, in-8°. — Fessler. *Institutiones patrologiae.* Innsbrück, 1890, in-8°.

(1) *Quas inter :* Libri sex de sacerdotio graece ed. Erasumus Rot. Basileæ, 1525. — Gr. et lat. ed. Hoeschel Augustae Vindel, 1599. — Gr. et lat. ed. Hughes Cantabridgiae, 1710 *et rursus* 1712. — Gr. et lat. ed. Bengel. Stuttgardiae, 1725. — Gr. ed. stereotyp. Lipsiae, 1825. — Gr. cum notis ed. Leo Lipsiae, 1834. — Lat. cum notis ed. Cotalain Romae, 1740. — Lat. ed. Khager Augustae Vind, 1763. — Vers. germ. ed. Hasselbach. Stralsund, 1820. — Germ. Ritter ed. Berlin, 1820. — Lat. ed. Hurter. Innsbrück, 1879. — Graece cum notis ed. Seltmann. Paderborn, 1887.

Primum ostendemus quibus inductus causis, quibus usus magistris, quibus studiis instructus, qualis denique totus Chrysostomus ad opus suum conficiendum accesserit. Deinde quaedam circa tempus et personas dialogi movebimus. Tum exponemus ea quae in sex libris praecipue tractantur, nonnullis adjectis ex aliis scriptoribus quo facilius perspiciatur quae ex alieno, quae ex suo fonte deprompserit auctor. Denique de operis praestantia ac scribendi arte paulo fusius disseremus.

CAPUT PRIMUM

QUALIS CHRYSOSTOMUS AD LIBROS DE SACERDOTIO SCRIBENDOS ACCESSERIT

Haud sane perdifficile est illius eximii operis argumentum exponere, quum Chrysostomus ipse totam rem in proemio suo explicandam curaverit (1). Basilius (2) inter multos Chrysostomi amicos (3) principem locum obtinebat. Iisdem atque ille tum magistris tum disciplinis operam dabat. Par utriusque circa litteras erat studium, par sollicitudo, par desiderium iisdem ex rebus natum. Ita duo amici eadem sentiebant, ut, quum aliquid consilii ineundum esset, idem in utroque appareret consensus.

Attamen, cum Basilius in eo esset ut monachorum vitam veramque philosophiam (τὴν φιλοσοφίαν τὴν ἀληθῆ) amplecteretur, Chrysostomus rebus forensibus mundique cupiditatibus irretitus ad contraria ferebatur studia. Non intermittebat Basilius diem ullum quin

(1) De sac. I, 1-8.

(2) De Basilio isto vid. inf. caput II.

(3) Inter amicos Chrysostomi, Socrates (H. e. VI, 3) memorat Evagrium, Maximum et Theodorum. Evagrius primus e mundo discessit : de eo nihil amplius. Maximus episcopus Seleuciae in Isauria et Theodorus Mopsuestiae in Cilicia creatus est.

amicum hortaretur ad sanctiorem vitae rationem suscipiendam. Tandem supplicibus verbis ab eo impetravit ut domo uterque sua relicta, commune incolerent domicilium vitamque solitariam una agerent. Quae res paene ad exitum perducta fuit nî Chrysostomi mater, eventu cognito, precibus ac lacrymis filium a consilio perficiendo deterruisset (1).

Neque tamen Basilius efflagitatu desistebat, quum repente fama percrebuit ipsum amicumque ad episcopatum promovendos esse. Incertus quidnam consilii caperet, ad Joannem properavit eique totam rem permisit, in utrumque paratus, sive obtemperandum esset, sive fugiendum. Chrysostomus vero qui ut vehementer timebat ne sibi indigno tantum imponeretur onus, ita Basilium hoc officio maxime dignum censebat, ideoque a munere suscipiendo nolebat avertere, judicium rei in aliud tempus omisit ne quid praemature ageretur. Basilius qui nihil subesse credebat doli, illud amplexus est consilium atque ab amico discessit. Statim sese occultavit Chrysostomus. Basilius vero inopinans comprehensus est ac, licet multa objecisset, episcopus creatus (2).

Qua ex re ortus est ille dialogus de sacerdotio. Nam ut primum Basilius totam rem comperit, tristis adit amicum, multasque apud eum querelas habet (3).

(1) I, 5. — Haud invitus legeris matris Chrysostomi orationem quam unus e nostratibus magnis laudibus celebravit. — V. Villemain. *Tableau de l'éloquence chrétienne au IVe siècle*, p. 157.

(2) *De sac.*, I, 6.

(3) *Ibid.*, 7.

Quas Chrysostomus dum a se removet, omnia quae ipse de sacerdotio sentit, in medium profert.

At vero haud prorsus imparatus Chrysostomus ad dialogum istum scribendum postea accessit. Jam enim praecepta hauserat multa tum a profanis tum a sacris magistris quos hic nosse operae nonnullius pretium erit.

Ut primum ex pueris excessit, Antiochiae (1), copiosa urbe atque eruditissimis hominibus affluenti, ad discendi studium totum se contulit. Eum mater, viro post puerum natum amisso (2), in omnibus disciplinis erudiendum summopere curavit ipsaque sacras litteras sedulo edocuit. Neque dubitandum est quin ex ea prima Chrysostomus hunc amorem hauserit Scripturae quam postea in libris ac orationibus suis commendare non omisit.

Prope viginti annos natus (3), Libanio (4) sophistae qui tum admodum florebat sese addixit. Is enim quum jam dicendi doctrinam Constantinopoli, Athenis, Nicaeae et Nicomediae tradidisset, tandem in patriam reversus, ibi magno cum omnium plausu rhetoricam docebat. Brevi tempore Chrysostomus tantum profecit,

(1) Ibi natus erat a. 344, ut Stilting, a. 347, ut censent Hermantius et Tillemontius.

(2) *De sac.*, I, 5.

(3) Id colligere potes ex illo loco (Ad viduam juniorem, 2), quo Chrysostomus monet mirationem quam mater apud Libanium movit.

(4) Libanius, patria Antiochenus, claruit anno 360 et ad extrema Theodori M. tempora perduravit, ab eo ad praetorio praefecti dignitatem, si voluisset, auctus.

tot tantaque solertis ingenii indicia praebuit ut, teste Sozomeno, magister de illo in ipsius locum sufficiendo cogitarit (1).

Doctorem philosophiae Chrysostomus habuit Andragathium (2). Quae qualisque illius magistri fuerit doctrina, quaenam ab illo discipulus hauserit praecepta, incertum est. Nam de Andragathio, nihil nisi nomen posteris traditum fuit : cetera de illo prorsus ignota sunt.

Utcumque res sese habet, non infitiandum Chrysostomum ex hisce primis exercitationibus multa de eloquentia praesertim retulisse. Nam statim e scholis abductus, forum frequentare coepit. Nonnullas declamationes habuit et, si fides Isidoro pelusiano adhibenda est, in laudem imperatorum concinnavit eximiam orationem (3) quam Libanius magnificis laudibus decoravit : « Ego igitur voluptate affectus sum, quod ad forensem artem exhibendam demonstrationes quoque adjungas. Atqui et te beatum praedico qui hunc ad modum laudare queas ; itemque eos qui talem praeconem nacti sint (4). »

Chrysostomus quidem ex animo memoriam magistrorum cito abjecisse videtur. Neque enim ut Basilius

(1) Ἡνίκα γὰρ ἔμελλε τελευτᾶν, πυνθανομένων τῶν ἐπιτηδείων τίς ἀντ' αὐτοῦ ἔσται, λέγεται Ἰωάννην, εἰπεῖν, εἰ μὴ Χριστιανοὶ τοῦτον ἐσύλησαν. — VIII. 2.

(2) *Socr.*, VI, 3. Pallad.

(3) *De illa oratione vide Hermantium*, p. 13.

(4) Καὶ μακαρίζω σε μὲν οὕτω δυνάμενον ἐπαινεῖν, ἐπαινέτου δὲ τοιούτου τετυχηκότας. — Lib. II. epist. 42.

Caesareensis, aliquid rationis cum Libanio retinuit, neque usquam in scriptis suis rhetoris mentionem fecit nisi in quo loco eum maxime omnium superstitiosum praedicat (1).

De Andragathio apud Chrysostomum nihil omnino reperias. Multa quidem profert de philosophis qui, ut videtur, haud pauciores Antiochiae vivebant. De his vero quoticscumque disserit, tantum abest ut doctrinam eorum celebret et vitam, ut illudat potius ac derideat (2).

Non ita sane de doctissimis viris quos in sacris litteris ediscendis postea magistros audiit. Primus apud quem sedit fuit Antiochiae praesul, Meletius, qui jam ante annum 360 Sebastae ecclesiae praefuerat. Ille quidem, quum saevientibus arianis tempestatibus ad principatum evectus fuisset, multa ab haereticis est perpessus, terque in exsilium actus, extra patriam demum mortuus est (3). Ob virtutem praeclaram invictamque constantiam tanto in honore erat, ut Antiocheni illius imaginem ubique depingerent, in palis annulorum, sigillis, phialis, thalamorum parietibus, ejusque nomen filiis darent suis (4).

Egregius ille vir, quum Chrysostomi virtutem magnam ingeniumque felix animadvertisset, multa

(1) Πάντων δὲ ἀνδρῶν δεισιδαιμονέστερος ἐκεῖνος ἦν. — Ad. vid. jun. 2.

(2) Cf. *potissimum in Joannem*. Hom. LXVII, 3. — *In acta Apos.* Hom. IV. 3. — *In verbis Apost :* habentes eumdem spiritum, I, 2 et 3.

(3) Homil in Melet : *Socr.*, V, 9.

(4) V. *Ibid.*

circa eum curavit saepeque cum eo in pia colloquia descendit. Eo ferme tres annos Chrysostomus familiariter usus est quumque ex illo commercio tum scientiae tum pietatis multa praecepta retulisset, primum sacro lavacro initiatus, lector deinde in ecclesia creatus est (1).

Meletio in exsilio circa annum 372 pulso, Chrysostomus alios doctrinae sacrae magistros adire coepit, Diodorum scilicet, qui postea Tarsensis episcopus fuit, et Carterium qui una cum Diodoro monasteria Antiochena curabat (2).

Quemadmodum Andragathius, ita Carterius nomine tantum notus est. Plura vero de Diodoro probata sunt. Ille quidem quum esset vir eruditione et pietate conspicuus, summa ope, adjuvante Flaviano qui postea Meletio successit, contra Arianos stetit. Hi duo fortissimi bellatores, ut ait Theodoretus, tendebant arcus in blasphemias Arii et tanquam rupes quaedam irruentes fluctus frangebant (3).

Diodorus maxime sacris excellebat scripturis quas, Eusebium Emisenum secutus, multa cum scientia exponebat (4). Erant enim qui Origenis vestigiis

(1) *Pall. Dial.*, V.

(2) Soz., *l. c.*, VIII.

(3) Φλαβιανὸς καὶ Διόδωρος, καθάπερ τινὲς πρόσβολοι, τὰ προσβάλλοντα διέλυον κύματα. — II. 22.

(4) « Exstant ejus in apostolorum acta commentarii et multa alia, ad Eusebii Emiseni characterem magis pertinentia, cujus cum sensum secutus sit, eloquentiam imitari non potuit propter ignorantiam saecularium litterarum. » Hieronymus. *De Vir. ill.*, CXIX.

ingressi, in Scripturis mysticum atque allegoricum attingerent sensum, historicum vero et litteralem prorsus negligerent. Ab illis longe dissentiens, Eusebius novam indagaverat viam rationesque repudiaverat allegoricas (1). His disciplinis imbutus, multos conscripsit libros in quibus tantum in litterae expositione occupatus est, abstrusiorem sublimioremque sensum et contemplationum speculationes declinans (2).

Ab illo praestantissimo viro multa profecto arripuit Chrysostomus quibus tum in virtute plus ipse teneret firmitatis ac roboris, tum a Scriptura instructior evaderet.

Neque beneficii, quod a magistris acceperat, fuit immemor. Jam in prima homilia quam apud populum habuit, pergrato animo concionatus est de Meletio a quo disciplina sacra tam accurate eruditus fuerat (3). Quin et in ejus laudem homiliam concinnavit encomiasticam in qua virtutes illius praeclari antistitis Antiochenis subjecit (4). Eamdem Diodoro retulit gratiam cujus vitam apostolicam atque orationem verborum suavitate vique cogitationum plenam magnifice laudavit (5). Forsan crediderit

(1) « Magis historiam secutus, ab iis qui declamare solent studiosissime legitur. » Hier. *De Vir. ill.*, XCI.

(2) « Ψιλῷ τῷ γράμματι τῶν θείων προσέχων Γραφῶν, τὰς θεωρίας αὐτῶν ἐκτρεπόμενος. » — Socr. VI. 3. Cf. Soz. VIII. 2.

(3) *Hom.*, I, cum presbyter fuit ordinatus.

(4) *In S. Patrem nostrum Meletium.*

(5) *Laus Diodori episcopi*, 4.

aliquis, nec immerito, Chrysostomum hujusmodi magistrorum mores et praecepta ad sacerdotis imaginem adumbrandam convertisse.

Ceteroquin non existimandum eum fuisse primum qui de sacerdotio disseruerit. Jam Paulus, quum plurimas vitae christianae rationes tradidit, nonnulla quoque de episcopis elucubravit : quae passim sive in Epistola ad Hebraeos sive in Epistolis ad Titum et ad Timotheum reperiuntur (1). In illo doctore quasi semen ac principium inest eximiarum illarum sententiarum et admirabilis illius doctrinae quae paulatim apud alios postea adolevit et, ut ita dicam, ad maturitatem pervenit. Nam nihil ferme effecerunt auctores qui eum secuti sunt quam ut ejus placita, plurimis quidem verbis, ratione temporum habita, explicarent ac evolverent.

Multa de sacerdotio invenias apud Basilium, tum in ceteris ejus operibus, tum praesertim in Epistolis. Haec quidem, etsi non in unum coalescunt et coagmentantur, praebent tamen episcopis rectam quamdam agendi viam si quis ad hujus consilia vitam suam dirigere vult.

Multo fusius atque aptius de sacerdotio disputavit Nazianzenus in illa oratione quæ *Oratio apologetica de fuga sua* inscribitur (2). Ille enim praeclarus doctor, ut onus presbyteratus sibi impositi declinaret,

(1) *Epist. ad Hebr.*, VII-X. — *Epist. I ad Timoth.*, III-VI. — *Epist. II ad eumd*, III-IV. — *Epist. ad Tit.*, I et II.

(2) *Oratio*, II.

in deserti solitudinem secesserat. Plurimos vero offenderat istaec fuga quam ei alii levitatis, alii imprudentiae, alii cupiditatis altioris gradus crimen inferebant. Quibus commotus, Nazianzenus redierat post aliquot menses atque hanc orationem apologeticam apud populum habuerat. In ea tum ceteras fugae suae causas affert, tum illas scilicet gravissima sacerdotis munera, virtutes necessarias, officii difficultates ac pericula, denique Dei minas in pastores. Quae quidem tam feliciter disseruit Nazianzenus, ut ab aliis scriptoribus tantum illustrata esse videantur.

Iterum auctor ille doctissimus eadem tractavit in iis versibus quos, postquam sese sede constantinopolitana abdicavit, de se ipso et in episcopos composuit (1). Forsan vir sanctissimus nimis acer et praeter modum opus tetendisse videtur, dum ab inferendis injuriis ac conviciis minus temperat. Multa vero affert sive de scientia theologica quam sedulo commendat, sive de inscitia pastorum quam vehementibus increpat objurgationibus atque adoritur. Nec dubium est quin Chrysostomus nonnulla ab eo, ut loco videbitur, mutuatus fuerit.

Denique haud infitiari potest quin Chrysostomo magna effloruerit utilitas ex illa vita solitaria quam aliquot annis in monasteriis egit. Nam solitudo, ut animos infirmos ac remissos debilitat et frangit, ita generosos ac potentes impellit ac in altius trahit.

(1) Εἰς ἑαυτὸν καὶ περὶ ἐπισκόπων.

Chrysostomus quidem, si valetudini parum pepercit (1), aciem tamen ingenii ac vim cogitandi ita assidua exercitatione auxit, ut viribus quam integerrimis ad libros de sacerdotio scribendos accedere potuerit (2).

(1) *Pallad. Dial.*, V.

(2) *De tempore quo Chrysostomus opus suum confecerit, vid. inf.*, cap. II.

CAPUT II

NONNULLA CIRCA DIALOGUM MOVENTUR

Imprimis quonam tempore Chrysostomus Basiliusque ad episcopatum promovendi requisiti fuerint, neque prorsus ad liquidum perduci potest, neque hic scire multae operae pretium est. Porro, ut non nihil de re afferamus, unum est compertum, scilicet Chrysostomum fuisse tunc juvenem, fere puerum, ut ipse paulo sane supra verum loquitur (1), mundoque nuper addictum (2). Verum constat eum circa annum 375 in solitudinem secessisse (3). Res profecto ante id temporis peracta fuerit necesse est. Ex altera parte, vix dubitari potest quin supra narrata evenerint quum, Meletio in exsilium pulso (4) pluribusque vacantibus sedibus, proponerentur qui illas implerent. Quidquid id est, neque ante annum 371 neque post annum 375 res incidere potuit.

De tempore quo Chrysostomus libros composuerit, haud una est auctorum sententia. Alii quidem volunt hunc dialogum eo tempore fuisse scriptum quo res

(1) *De sac.*, II, 8.

(2) *Ibid* , II, 3.

(3) *Pall. Dial.*, V.

(4) *Socr.*, V.

contigerint. Etenim, ait Stilting, propositum erat Sancto tum fugae suae, tum dissimulationis apologiam texere rationesque reddere Antiochenis cur electioni suae non acquievisset. Porro non verisimile est eum sex annos et amplius expectasse dum jam res in oblivionem diuturnitate adducta fuerit (1).

Haec quidem veri speciem praebent, verum speciem tantum. Namque non sibi solum Chrysostomus sumpserat ut ab incriminationibus sese purgaret tum Basilii tum Antiochenorum. Hanc quidem causam praetexuisse videtur ut omnia quae de sacerdotio sentiret, in medium proferret (2). Rem vero aestimanti apparet hanc orationem paulo serius elucubrandam fuisse. Hi enim libri materiae diu cogitatae meditataeque speciem prae se ferunt. Joannes vero qui vix a foro negotiisque saecularibus sese abstraxerat, quum ipsum ad sacerdotium evehendum fama fuit, haud multa sane experiendo collegerat, neque earum rerum, quas postea commentandas suscepit, satis magnum usum habere debebat. Ad haec, vix credendum est eum, ut ea erat aetate eoque loco quem infimum obtinebat in Ecclesia, tam audacibus verbis episcoporum vitia insectari voluisse (3). Nihil igitur non indicat aliud operis componendi tempus constituendum esse.

Socrati assentiendum videtur qui Joannem, jam diaconum, hosce libros edidisse asseverat (4). Id

(1) *Acta SS. Sept.* Tom. IV, p. 428. Cf. Bengel.

(2) *Vid. inf.*, cap. IV.

(3) Cf. Hermant. *La Vie de S. Jean Chrysostome.*

(4) *Socr.*, V, 3.

enim temporis nonnullis operibus componendis operam dabat. Antea jam, dum in solitudine vitam agebat, tres libros quibus monachos defenderet accurate exaraverat. Eadem circiter tempora, opusculum illud elegans quod *Comparatio regis et monachi* inscribitur, profecto emisit. Paucis post annis jamque domum redux ad Stagyrium scripserat ut cum ingenti tristitia laborantem consolaretur. Denique de viduis ac virginibus multa praeclare protulerat. De hisce omnibus rebus summo cum ingenio disseruerat ac doctrina. Jam omni erat instructus ratione ut in libris de sacerdotio conficiendis elaboraret. Neque facile crediderim Chrysostomum jam presbyterum huic operi sese accinxisse. Nam tot tantisque negotiis tunc implicabatur ut vix ipsi vacaret tam prolixos concinnare libros.

Jam vero qualis fuerit iste Basilius qui hic Chrysostomo tam familiariter uti fertur? Cujusnam ecclesiae exstiterit antistes? Magis conjici quam affirmari potest. Etenim de eodem nihil nisi nomen et amiciciam tradidit nobis Chrysostomus neque in ceteris operibus quidquam argumenti ad rem dilucidandam protulit. Ideo valde dissentiunt auctores.

Socrates, quem multi, quos inter Erasmus et Brixius, sunt secuti, hunc Basilium fuisse Caesareensem episcopum, cognomine Magnum, contendit (1). Quam opinionem prorsus esse rejiciendam, nemo est qui non videat. Nam Basilius Magnus, circa annum

(1) *Socr.*, VI, 3.

327 natus (1) fere viginti annis Chrysostomum aetate praecedit, ideoque illius sodalis in disciplinis ediscendis esse non potuit. Praeterea, Basilius sophistam Libanium Athenis audiit ; eidem quidem magistro, verum Antiochiae, sese addixit Chrysostomus. Ad haec, episcopus Caesareae quippe qui sedem non in eadem provincia cujus erat Antiochia obtineret, in hac urbe non potuit ordinari. Denique, si revera Basilius Magnus Chrysostomi necessarius fuisset, aliquid hujus necessitudinis vestigii deprehendas tum in ipsius operibus tum in libris Nazianzeni qui de amici vita abunde enarravit. At nusquam, vel accurate legens, ejusmodi aliquid reperias.

Photius alium quemdam Basilium in medium protulit, nempe Seleuciae episcopum sententiamque eo confirmat quod multa sunt in ejusdem operibus quae cum Chrysostomi sensis ac placitis congruant (2). Quae conjectura non felicior esse videtur si modo animadvertas hujus Basilii opera non prorsus a quibusdam genuina existimari, aut si minus spuria, non tanti sunt ponderis habenda quae cum Chrysostomi scriptis congruere dicantur. Nam talia et ejusmodi apud alios invenias auctores qui Chrysostomi sodales neutiquam fuere. Constat ceteroquin illum Seleuciae Basilium anno 451 chalcedonensi synodo interfuisse

(1) Cf. *Vit. Greg. Naz. in oper.*, I, 10.

(2) Πολλὰ γὰρ ἴχνη τῶν ἐκείνου λόγων καὶ νοημάτων καὶ μάλιστα τῶν κατὰ τὴν Θειῶν Γραφὴν ἐν τοῖς τοῦ βασιλείου λόγοις ἐπιφαίνεται, ὡς ἂν ἀπο τῆς αὐτῆς πηγῆς τῶν μαθημάτων ἐρυσαμένων ἄμφω τὰ πρόσφορα. — Biblioth. CXLVIII.

atque Leoni imperatori anno 458 litteras misisse (1). Hinc vix verisimile est eumdem circa annum 367 oratoriis disciplinis una cum Chrysostomo navavisse operam.

Hunc Basilium volunt alii eumdem exstitisse ac Maximum Mopsuestiae episcopum quem olim Chrysostomus a forensibus rebus revocarat (2). Quae res nulla ex ratione conjectata esse videtur. Nam quorsum illa nominum tam dissimilium commutatio? Si nomen utrumque eidem fuerit personae, quare unus ex auctoribus Chrysostomus alterum usurpavit? Si vero Basilii nomen fictitium ac commentitium amico suo dederit, nihil videtur esse causae cur in hujusmodi mutationem inciderit. Illud quoque animadvertendum est duos amicos discedentes frequenti colloquio inter se usuros polliceri (3). Quod sane, quum tam longe ab Antiochia abesset Mopsuestia, paulo inconsultius fuisset dictum.

Alia via indaganda est. Porro, si temporum illorum memoriam collegeris, duos tantum nomine Basilios reperies qui ut Chrysostomi coaevi, ita ejus quoque sodales dici queant, quorum alter Bybli (4), alter Raphaneae (5) praesul fuit. Byblos, utpote quae civitas

(1) Vid. Bar. ad annum 382.

(2) *Socr.*, VI, 3.

(3) « Ἀλλ᾽ ἐπειδή σοι τοῦτο ἡδὺ, θάῤῥει, ὦ φίλη κεφαλή· τὸν καιρὸν γὰρ, καθ᾽ ὅν ἂν ἐξῇ σοι τῶν ἐκεῖθεν φροντίδων ἀναπνεῖν, καὶ παρέσομαι καὶ παρακαλέσω, καὶ τῶν εἰς δύναμιν τὴν ἐμὴν ἐλλείψεται οὐδέν.»

(4) In Phoenicia.

(5) Civitatem Raphaneam memorat Cellarius in Seleucide medi–

aliquanto spatii ab Antiochia distet, minime locus erat sane commodus quo duo amici haec optata colloquia secum haberent (1). Quod rectius dici potest de Raphanea quae urbs prope Antiochiam sita erat. Compertum habemus Basilium hujus ecclesiae episcopum anno 381 constantinopolitanae synodo interfuisse quod apprime cum aetate Chrysostomi quadrat. Nihil ergo obstat quin illius amicus ac sodalis exstitisse conjiciatur.

Nisi quis forte putat cum Hasselbachio hunc Basilium personam esse mere commentitiam qua fuerit usus Chrysostomus ut orationem suam majore artificio elaboratam haberet (2). Hoc enim erat in instituto sophistis ac rhetoribus ut hanc componendi rationem in libris suis usurparent. Cujus rei multa exstant testimonia tum apud alios auctores tum vel apud Platonem qui hujusmodi personas in dialogos suos haud semel induxit. Ita credideris Chrysostomum qui sophistam Libanium audierit seduloque veterum lectitaverit opera, per eadem vestigia incedere voluisse.

Haec quidem opinio minus aeque nobis satisfacit et pluribus quidem locis. Finge enim istum Basilium

terranea, cujus caput erat Antiochia, locatque inter Antaradum Syriae oppidum et fluvium Orontem cui adjacet Antiochia. — *Geogr. ant.*, II, p. 258.

(1) Ceteroquin ille Bybli episcopus non Basilius sed Basilides dictus legitur in subscriptione concilii.

(2) V. Neander, I, p. 40.

non prorsus exstitisse, asseverandum est ea quorum pars fuit, vana quoque esse et commentitia. Attamen convenit satis inter auctores illa omnia cum iis quae de Chrysostomi vita enarrantur miro quodam modo congruere ac consentire. Nihil quidem est argumenti quod contra ea afferre possis nisi quod Chrysostomus nusquam alias in scriptis suis de illo Basilio aliquid protulerit. Quod et idem de ceteris ejus amicis affirmare queas. Multis enim, ipso teste, familiariter usus est : nullius tamen eorum unquam mentionem injecit ut, ea tantum ratione habenda, aeque crederes eos revera non exstitisse.

Imo, ut recte animadvertit Neander (1), si excogitata sunt quae hic enarrantur, non dubium est quin in hoc de se paulo gloriosius praedicaverit auctor. Etenim sese fatetur ad episcopatus dignitatem admodum juvenem promovendum fuisse. Porro vix credendum Chrysostomum, ut eo erat ingenio, ea scripsisse quae omnes in ipsius admirationem adducant, ac tamen numquam evenerint. Magis quidem ad veritatis similitudinem accedere videtur eum non ficta, verum quaedam e vita sua excerpta in medium protulisse.

Nuper excogitavit novam aliam conjecturam Volkius quidam, ecclesiae Heddesbachiensi praepositus (2). Qui cum animadvertisset multa quae de Chrysostomi amicitia cum Basilio enarrantur, dici quoque posse de familiaritate Nazianzeni cum Basilio Magno, ad id

(1) *Ibid.*

(2) V. Zeitschrift für praktische Theologie XVII, Jahr. Heft, .

perductus fuit ut personas dialogi censuerit esse Basilium Caesareensem et Nazianzenum ipsum quem Chrysostomus, ob causas haud prorsus allatas, nomine suo induxit.

Quae tamen conjectura nihil esse videtur nisi quoddam excogitatum in mente contradicentis ut aliquid novi afferat quod suis persequatur argutiis. Jam enim si ita accidisset, credendum omnia quae de se ipso Chrysostomus narraverit eadem et de Nazianzeno esse asseveranda. Quod sane absurdum est. Nam Nazianzeni pater annos vixit multos obiitque aliquot tantum menses ante uxorem. Quo fit ut illa neque viginti annos nata vidua exstare potuerit (1) neque ideo hanc sui admirationem movere de qua Chrysostomus alio in loco tam concinne dixit (2).

His addendum quod Nazianzenus non is loqueretur qualis in Oratione apologetica sese exhibuerit pauloque ideo secum discreparet. Nam onus primo recusatum resumpsisse fatetur, imo facti rationem, obedientiam obtegens, probare contendit (3). Longe vero aliter sentit Chrysostomus in dialogo de sacerdotio quo non fugere solum vult, si quis sese oneri imparem esse existimaverit, verum etiam non prorsus ab omni culpa vacare si unquam ipsi vim ferentibus morem gesserit (4).

(1) *De sacer.*, I, 5.
(2) *Ad Vid. Jun.*, 2.
(3) *Orat. apol. ad finem.*
(4) *De sacer.*, IV, 1.

Denique haud verisimile est Nazianzenum qui tam multa de amico suo disseruerit, hujusmodi eventum tacitum reliquisse Si locos quidem percurras omnes quibus de Basilio scripsit, nihil profecto invenias quo hanc novam opinionem confirmare possis.

CAPUT III

DE IIS QUAE IN DIALOGO DE SACERDOTIO PRAECIPUE TRACTANTUR

Antequam iis rebus quae de sacerdotio ipso disseruntur paulo longius immoremur, pauca dicenda sunt de modo quo Chrysostomus ab amico suo sese purgat. Haud quidem infitiatur se fraude fuisse usum ut ejus humeris episcopatus sarcinam imponeret. Verum hujusmodi fraudes licitas esse asseverat, dummodo decipiens id non sua sed decepti utilitate fecerit. Imo arbitratur sic decipientem laudandum ab iis saltem qui aliquam aequi ac boni rationem habent (1).

Quod ut defendat, multa quae non inepte ad sensum suum accommodat sumit exempla sive e belli ducibus qui adversarios suos astutia ad perniciem trahunt, sive e medicis qui, ut aegrotos ad sanitatem restituant, eos dolo deceptos habent, sive denique e Scriptura in qua nonnulla inveniuntur quae paulo versutius fraudulentiusque acta esse videantur.

« *πολλὴ γὰρ ἡ τῆς ἀπάτης ἰσχύς, μόνον μὴ μετὰ δολερᾶς προσαγέσθω τῆς προαιρέσεως· μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἀπάτην τὸ τοιοῦτον δεῖ καλεῖν, ἀλλ᾽ οἰκονο-*

(1) *De sacer.*, I, 8.

μίαν τινά, καὶ τέχνην ἱκανὴν πολλοὺς πόρους ἐν τοῖς ἀπόροις εὑρεῖν καὶ πλημμελείας ἐπανορθῶσαι ψυχῆς (1). »

Haec sane mira sunt et explanationem quamdam requirunt. Vix quidem dubitari potest quin christiani auctores hanc cogitandi viam ac rationem e profanis scriptoribus deprompserint. Hoc enim, ut optime censuit Neander, erat veteribus in usu de vero plerumque ita sentire. Jus videtur non fuisse aequum imperitis atque doctis, subditis atque principibus eadem audire atque nosse (2). Quae est causa cur vel gravissimi auctores mythis ac fabulis apud populum usi fuerint. De fraude licita tum permulti veteres tum praesertim Plato in libris de Republica ita disseruit. Ille enim existimat tempora nonnumquam incidere quibus cives decipere licet modo id ad civitatis bonum valeat (3).

Ad haec, rhetores et sophistae, qui pro omnibus et contra omnia disputare solebant, non nihil contulerunt ad hanc cogitandi rationem diffundendam quam Graeci decoro quidem ornabant nomine dum οἰκονομίαν appellabant (4).

Quum vero plerique Patres talia praecepta e rhetorum scholis retulissent scriptorumque profanorum

(1) I, 9.

(2) I, p. 93.

(3) « Τοῖς ἄρχουσι δή τῆς πόλεως, εἴπερ τισὶν ἄλλοις, προσήκει ψεύδεσθαι ἢ πολεμίων ἢ πολιτῶν ἕνεκα ἐπ' ὠφελίᾳ τῆς πόλεως · τοῖς δὲ ἄλλοις πᾶσίν ἁπτέον τοῦ τοιούτου. » — De Rep. III.

(4) Apud Patres, nomen συγκατάβασις (demissio) plerumque in usu erat.

opera studiose scrutarentur, minime mirum est eos nonnumquam in hujusmodi vitia incurrisse. Jam Clemens Alexandrinus eum non increpat qui, etsi vera sentit, tamen, ut medicus ad aegrotantes sanandos, ad eorum qui laborant salutem mentitur aut falsa dicit (1). In eodem Hieronymus Origenem carpit qui hanc sibi demissionem probatam esse fatebatur (2).

Quod si quid Chrysostomus in eo quoque peccaverit, illud magis temporibus quam ingenio vertendum est. Ceteroquin se ipsum redarguere videtur dum alio in loco simulationem prorsus rejiciendam esse existimat (3), aut alias de veritate tam praeclare dictum profert : « Ἡ δὲ ἀλήθεια γυμνὴ πρόκειται πᾶσι τοῖς βουλομένοις αὐτῆς τὴν ὥραν περισκοπεῖν· καὶ οὔτε λανθάνειν βούλεται, οὔτε κίνδυνον δέδοικεν, οὐκ ἐπιβουλὰς τρέμει, οὐ δόξης ἐφίεται τῆς παρὰ τῶν πολλῶν, οὐκ ἄλλῳ τινὶ τῶν ἀνθρωπίνων ἐστὶν ὑπεύθυνος (4). »

Ut vero cetera persequamur, jam ea in medium veniant quae Chrysostomus de episcoporum electionibus copiosius docet. Eos vehementer exagitat qui sacerdotii dignitatem ambiunt omnique enituntur ope ut eam adipiscantur atque occupent (5). Ex quo enim episcopatus ea evasit dignitas quae tum a principibus tum a populis magnam obtineret reverentiam, multi ad

(1) « Ἀληθῆ τεγάρ φρονεῖ ἅμα καὶ ἀληθεύει· πλὴν εἰ μήποτε ἐν θεραπείας μέρει, καθάπερ ἰατρὸς πρὸς νοσοῦντας ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν καμνόντων ψεύσεται ἢ ψεῦδος ἐρεῖ κατὰ τοὺς σοφιστάς. » — *Stromat.* VII. 9.

(2) *Apologia adversus Rufini libros.* 18.

(3) *In Psalm*, XLIV, 8.

(4) *In Joann.*, Hom., XXIX, 1.

(5) *De sac.*, III, 8-16.

eam capessendam irruerunt eo perducti maxime quod in ea potentiam requirebant et auctoritatem. Quod vitium Patres summopere insectati fuerunt nihil rati tantas in ecclesiis ruinas congerere « Οὐδέν οὕτως Ἐκκλησίαν δυνήσεται διαιρεῖν ὡς φιλαρχία (1). » Basilius jam querelas habuerat quod ambitione laborantes in sacerdotium per vim sese intrudebant quo magna fiebat anarchia in populis (2). Haud aliter sentiebat Nazianzenus qui timebat ne ordo sanctissimus maxime ridiculus evaderet quia non virtute, verum maleficio et scelere sacerdotium parabatur (3).

Hinc quum in more positum esset ut expeterentur cleri ac populi suffragia in eligendis episcopis (4), saepe incidebat ut gratia largitioque plurimum in tali re valerent. Quo solertius enim quisque populum sibi conciliare callebat, sive pecuniis, sive adulationibus, sive pollicitationibus, eo quidem faciliori ascensu ad principatum accedebat. Nam populus plerumque in contrarias scindebatur partes quorum alii hunc, alii illum eligendum proponebant. « Ὁ μέν, ὅτι γένους ἐστὶ λαμπροῦ, ἐγκρινέσθω φησίν· ὁ δέ, ὅτι πλοῦτον περιβέβληται πολύν, καὶ οὐκ ἂν δέοιτο τρέφεσθαι ἐκ τῶν τῆς ἐκκλησίας προσόδων ὁ δέ, ὅτι παρὰ τῶν ἐχθρῶν ηὐτομόλησε· καὶ ὁ μὲν τὸν οἰκείως πρὸς αὐτὸν διακείμενον ὁ δὲ τὸν γένει προσήκοντα, ὁ δὲ τὸν κολακεύοντα μᾶλλον τῶν ἄλλων προτιμᾶν σπουδά-

(1) In *Epist.* ad Eph., IV. Hom., XI, 4.

(2) Ἀναρχία δέ τις δεινὴ ἀπό τῆς φιλαρχίας τούτης τοῖς λαοῖς ἐπεκώμασε. — Lib. de Sp. S. 77.

(3) Οὐ γὰρ ἐξ ἀρετῆς μᾶλλον ἢ κακουργίας ἡ προεδρία. — In laudem Bas. M. XXVI.

(4) In primitiva ecclesia viguit ut episcoporum electio irrita censeretur quae inconsulto fieret populo.

ζουσιν· εἰς δὲ τὸν ἐπιτήδειον οὐδεὶς ὁρᾶν βούλεται, οὐδὲ ψυχῆς τινὰ ποιεῖσθαι βάσανον (1). »

Ad haec, ut ad sacerdotium indigni promovebantur, ita non semel arcebantur digni, nullo saepe nomine quod ipsos invidentibus displicebant.. « Ὁ μὲν γὰρ, ἐπειδὴ νέος ἐστὶν, ἐκβαλλέσθω, φησίν· ὁ δὲ, ἐπειδὴ κολακεύειν οὐκ οἶδεν · ὁ δὲ, ἐπειδὴ τῷ δεῖνι προσέκρουσεν· καὶ ὁ μὲν, ἵνα μὴ ὁ δεῖνα λυπῆται, τὸν μὲν ὑπ' αὐτοῦ δοθέντα ἀποδοκιμασθέντα, τοῦτον δὲ ἐγκεκριμένον ὁρῶν, ὁ δὲ, ἐπειδὴ χρηστός ἐστι καὶ ἐπιεικής· ὁ δὲ, ἐπειδὴ τοῖς ἁμαρτάνουσι φοβερός· ὁ δὲ, δι' ἄλλην αἰτίαν τοιαύτην (2).»

Ex quo fiebat ut quisque pessimus saepe eligeretur, quod Basilius non omittit querelis suis persequi dum impios per vim in praefecturas insilientes reprehendit (3). Imo adversariorum circa sacerdotium aemulatio eo processit ut, teste ipso Chrysostomo, multi hujus dignitatis causa pugnantes caedibus ecclesias repleverint civitatesque devastaverint (4).

Docet quidem Nazianzenus Caesareenses cives quum de episcopo eligendo agerent, duasque in partes scinderentur, tantam turbam tantumque tumultum urbi injecisse ut parum facile seditio comprimenda ac sedanda esse videretur. Neque alia ratione res explicata fuit quam ut episcopi inopinantem quemdam ac

(1) III, 15.

(2) *De sac*, III, 15.

(3) « Ὥστε ὁ τὰ χαλεπώτερα βλασφημήσας εἰς ἐπισκοπὴν λαοῦ προτιμώτερος. » — Epist. ad Ital. et Gal 2.

(4) Ὅτι γὰρ καὶ φόνων τὰς ἐκκλησίας ἐνέπλεσάν τινες, καὶ πόλεις ἀναστάτους ἐποίησαν, ὑπερ ταύτης μαχόμενοι τῆς ἀρχῆς, παρίημι νῦν, μὴ καὶ ἄπιστα δόξω λέγειν τισίν — III. 10.

inconsultum arriperent eumque licet refugientem ad episcopatum promoverent (1).

Illa praesertim celebratissima sunt hujus temporis Catholicorum et Arianorum dissidia. Pulsis enim ab Arianorum factione nobilissimis episcopis, substitutisque aliis, caedes plurimae in urbibus contigere (2). Incidebat quidem ut qui longos annos officium suum exercuerant vi e sedibus expellerentur aut ob iras concitatas ultro abire cogerentur. Ita homines desperati Nyssa Gregorium depulerunt et in ejus locum suffecerunt hominem vel potius, ut ait Basilius, mancipium paucis obolis venale, verum quod attinet ad fidei corruptelam his qui constituere non inferius (3). Nemo nescit Nazianzenum ipsum, quum sese nonnullis episcopis parum probatum comperisset,

(1) *Orat. fun. in Patrem.* — Circa idem tempus haec evenisse narrat Ammianus « Damasus et Ursicinus supra humanum modum ad rapiendam episcopatus sedem ardentes, scissis studiis asperrime conflictabantur, ad usque mortis vulnerumque discrimina adjumentis utriusque progressis : quae nec corrigere sufficiens Juventius (praefectus) nec mollire, coactus vi magna secessit in suburbanum. Et in concertatione superaverat Damasus, parte quae ei favebat instante. Constatque in Basilica Sicinini, ubi ritus christiani conventiculum est, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum. » XXVII, 3.

(2) Cf. Naz. *In laud. Her. philosophi.* — Socr. IV, 15 et 28.

(3) Οὗτοι νῦν ἐξήλασαν μὲν τῆς Νύσσης τὸν ἀδελφὸν τὸν ἐμὸν καὶ ἀντεισήγαγον ἄνδρα, μᾶλλον δέ ἀνδράποδον ὀλίγων ὀβολῶν ἀξιον, τὴν δὲ τῆς πίστεως διαφθορὰν ἐφάμιλλον τοῖς καταστήσασι. — Epist. CCXXXIX Euseb. Samos.

a sede constantinopolitana sese abdicasse ac in solitudinem recepisse (1).

Hujusmodi aemulationes in obtinendo principatu aut in aliis deturbandis eo valebant ut maximis extolleretur laudibus si quis, quietis omnibus, ad sacerdotium pervenisset. Sic Nazianzenus id Athanasio honori vertit quod vi ac fraude episcopatum non arripuerit (2).

Inde sapienter Chrysostomus monet ne quis vel levissimo sacerdotii ambitu laboret. « Εἰ δὲ τις καὶ πρὶν ἢ τυχεῖν τῆς τιμῆς, τρέφει παρ' ἑαυτῷ τὸ δεινὸν καὶ ἀπηνὲς τοῦτο Θηρίον, οὐδέ ἐστιν εἰπεῖν, εἰς ὅσην ἑαυτὸν ἐμβαλεῖ κάμινον μετὰ τὸ τυχεῖν (3). »

De sacerdotii dignitate multa sapienter disserit Chrysostomus. Illa vero quae de difficultatibus operis profert, magis ad hujus disquisitionis usum pertinent. Jam de animarum regimine multa cum prudentia disputat. Fatetur morbos animae haud pari facilitate dignosci ac corporis morbos, magnaque ideo opus esse pastori solertia ac sexcentis oculis ut undique animae statum circumspiciat. Neque, ut primum animae morbus perspectus est, statim in promptu est sanatio. Nam potestas medicinae non penes illum est qui remedium admovet, sed penes illum qui morbo laborat, quem quidem non vi quadam coactum, verum persuasum oportet ad meliorem frugem

(1) Socr., V, 7.

(2) Οὐ γὰρ βιασάμενος, ἀλλ' ὁ βιασθεὶς διάδοχος · οὐδὲ ὁ παρανομήσας, ἀλλ' ὁ προβληθεὶς ἐννόμως. — In laudem Athan.

(3) *De sac.*, III, 11.

revocare. « Διὰ τοῦτο πολλῆς χρεία τῆς μηχανῆς, ἵνα πεισθῶσιν ἑκόντες ἑαυτοὺς ὑπέχειν τοῖς παρὰ τῶν ἱερέων θεραπείαις οἱ κάμνοντες (1). »

Quin et timendum est ne quod vehementioris morbi semen ex occasione medelae exoriatur si paulo incautius adhibetur. Sunt enim qui acerbioribus remediis impares, facile in arrogantiam deducantur et in salutis suae desperationem incidant (2). Mitius quoque cum infirmis ac remissis animis agendum est. Sensim paulatimque a peccati consuetudine sunt retrahendi, quos si statim corripias, periculum est ne multo deteriores evadant majoremque peccandi licentiam usurpent (3).

Hanc mansuetudinem existimat Chrysostomus esse adhibendam si quis a recta fide aberraverit. Non enim censet quidquam boni vi metuque profici, sed plurimum suasionem valere ut errantes ad veritatem reducantur (4). Haud alia erat mente erat Chrysostomus quum postea apud Antiochenos concinnabat homilias. Haeretica quippe, aiebat, dogmata iis, quae nos accepimus, contraria anathematizare, et impia dogmata confutare oportet, hominibus autem parcendum et pro eorum salute orandum est (5). Non tamen videtur semper censuisse. Constat enim eum postea

(1) II, 3.

(2) Cf. *Orat. apol.*, 32.

(3) *Orat. ap.*, 30.

(4) « Οὐ γὰρ ἑλκῦσαι πρὸς βίαν ἐστὶν, οὐδὲ ἀναγκάσαι φόβῳ · πείσαντα δὲ δεῖ πάλιν πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀγαγεῖν ὅθεν ἐξέπεσε τὴν ἀρχήν. » — II. 4.

(5) *De anathemate*, 4. — Cf. *quoque In S. Phocam*, 2.

imperatoriis decretis ad haereticos et paganos comprimendos nonnumquam fuisse usum (1).

Erant et aliae difficultates in quas eo tempore incidebant episcopi quasque Chrysostomus multis explicat verbis. Munus quidem erat sacerdotis curare et alere pauperes quorum ingens numerus ad civitates magnas affluebat (2). Neque eis tantum qui fidei christianae parebant, verum gentilibus etiam ipsis ab ecclesia cibi suppeditabantur. Quod et Julianus testatur in ea epistola qua Arsacium, Galatiae pontificem, rogat ut hospitium, christianorum more, pauperibus praebeat et advenis (3).

Magna quoque cura episcopo adhibenda erat in viduis et virginibus custodiendis ac alendis. Viduae jam ab apostolis constitutae fuerant (4). Quarum officium erat nocte dieque psallere et adesse ita ut aliquem ordinem in ecclesia obtinerent. Quamvis a clero eleemosynas acciperent, eis tamen licebat per forum incedere ac in angiportis mendicare (5).

Verum in earum vitae dispositione multa tunc temporis erant reprehendenda. Eas accusat Chrysostomus

(1) Cf. Theodoret. H. e., V, 29 et 31. — V. A. Puech. *S. Jean Chrys.*. in-12, p. 103.

(2) Antiochiae pauperes, teste Chrysostomo, decima civium pars erant. — In Math., Hom., LXVII.

(3) *Αἰσχρὸν γάρ, εἰ τῶν μὲν Ἰουδαίων οὐδεὶς μεταιτεῖ, τρέφουσι δὲ οἱ δυσσεβεῖς Γαλιλαῖοι πρὸς τοῖς ἑαυτῶν καὶ τοὺς ἡμετέρους.* — Op. Jul. II. p. 554. Edit. Teubn.

(4) *Ad Tim.*, I, 9.

(5) In *Epist.* ad Cor. Hom., XXX.

quod nonnulla turpiter ac libidinose faciunt perniciosumque omnibus exemplum praebent. « Καὶ γὰρ οἴκους διέφθειραν καὶ γάμους διέσπασαν, καὶ ἐπὶ κλοποῖς πολλάκις καὶ καπηλείαις καὶ ἕτερα τοιαῦτα ἀσχημονοῦσαι ἑάλωσαν (1). » Has viduas e sumptibus ecclesiae non censet alendas.

Aliae quidem, etsi a familia habebant unde alerentur, ab ecclesia tamen cibos petebant atque ita, ait Chrysostomus, tenuiorum mensam absumebant (2). Quas et arcendas pariter existimat.

Neque vero cum viduis quae revera paupertate laborabant res curatori bene succedebat. « Τὸ γὰρ τῶν χηρῶν γένος καὶ διὰ τὴν πενίαν, καὶ διὰ τὴν ἡλικίαν, καὶ διὰ τὴν φύσιν ἀμέτρῳ τινὶ κέχρηνται παῤῥησίᾳ (οὕτω γὰρ ἄμεινον εἰπεῖν) καὶ βοῶσιν ἀκαίρως, καὶ αἰτιῶνται μάτην, καὶ ἀποδύρονται ὑπὲρ ὧν χάριν εἰδέναι ἐχρῆν, καὶ κατηγοροῦσιν ὑπὲρ ὧν ἀποδέχεσθαι ἔδει. (3) » Vehementer rogat Chrysostomus ne quis illis cibos petentibus irascatur, neu frequentes earum preces amoveat, verum ut ille qui opem ferre debet, mitem sese adituque facilem exhibeat, quia earum infelicitas digna est quae misericordiam nedum contumeliam moveat.

Multo major cura de virginibus in episcopo requirebatur. Illae enim maximo in honore semper fuerant in ecclesia. Fere nemo est inter Patres tum orientalis tum occidentalis ecclesiae qui librum non scripserit quo laudem virginitatis extolleret et dignitatem. Jam haec Cyprianus : « Hae sunt ecclesiastici germinis flores decus atque ornamentum, gratiae spiritualis laeta in-

(1) *De sacer.*, III, 16. — Cf. In *Epist.* ad Cor. Hom., XXXVI.
(2) *Ibid.*
(3) III, 16.

doles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi (1). »

Hae virgines de quibus hic agitur ecclesiasticae vocabantur. Domi cum parentibus vitam agebant et ab illis secernendae sunt quae postea in monasteriis vivebant ideoque monachae apellabantur. Nomina sua albo matriculae ecclesiae adscripta habebant locumque obtinebant separatum tabulisque inclusum (2).

Si vero fides Chrysostomo adhibenda est, virgines illae nullam reprehensionem non capiebant. « Ἔδη γὰρ καὶ εἰς τὸν τῶν ἁγίων τούτων χορὸν μυρίαι μυρίων γέμουσαι κακῶν εἰσεκώμασαν (3). »

Quaenam esset ista debacchatio (γέμουση) haud sane est difficile perspicere. Multis enim in locis Chrysostomus de iis loquitur virginibus quae viros secum habitantes habebant aut a viris domi subintroductae (συνεισάκτοι) tenebantur. Quod malum jampridem ac multo ante Chrysostomi tempora exstitisse videtur, si Cyprianum ad Pomponium scribentem legere studes (4). Jam synodus quae Paulum Samosatensem coarguit, cum reprehendit tum in ceteris tum in

(1) *De habitu Virginis*, III.

(2) S. Ambr. *Sermo ad virg. lapsam.*

(3) III, 17.

(4) Legimus litteras tuas, postulans et desiderans, ut tibi rescriberemus quid nobis de iis virginibus videatur, quae cum in statu suo esse et continentiam firmiter tenere decreverint, detectae sint postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis. — *Epist.* 4 ad Pomp.

eo praesertim quod secum tales virgines duceret (1).

Quarto saeculo, illae virgines *sorores* vocabantur ab iis quos sibi extraneos adjungebant quosque fratres appellabant. Usque invaluit malum ut haud semel sororiam hujusmodi conditionem concilia vetuerint(2). Hieronymus hanc nequitiam vehementibus perstringit verbis. « Frater sororem virginem deserit. Coelibem spernit virgo germanum, fratrem quaerit extraneum. Et cum in eodem proposito esse se simulent, quaerunt alienorum spiritale solatium ut domi habeant carnale commercium (3). »

Chrysostomus haud minus vehementibus objurgationibus illud insectatur vitium tum in libris de sacerdotio tum in ceteris operibus. Quin et duo opuscula confecit adversus virgines subintroductas (3). Haud acerbe ac facete de iis non loquitur qui secum habent virgines quas vel ante fores ecclesiae adeunt ut illis praebeant operam. « Ἀπό τε γαρ τῶν θυρῶν αὐτὰς ἔξωθεν

(1) « Πῶς γὰρ ἐπιπλήξειεν ἢ νουθετήσειεν ἕτερον, μὴ συγκαταβαίνειν ἐπιπλέον εἰς ταυτὸν γυναικὶ μὴ ὀλισθῇ φυλαττόμενον, ὡς γέγραπται, ὅς τις μίαν μὲν ἀπέστησεν ἤδη, δύο δὲ ἀκμαζούντας καὶ εὐτρεπεῖς τὴν ὄψιν ἔχει μεθ' ἑαυτοῦ, κἂν ἀπίῃ που, συμπεριφέρει, καὶ ταῦτα τρυφῶν καὶ ὑπερεμπιπλάμενος. » — Euseb. VII. 30.

(2) Omnibus modis interdixit sancta synodus neque episcopo neque presbytero neque diacono neque ulli clericorum omnino licere habere secum mulierem extraneam nisi forte sit mater, aut soror aut avia aut amita vel matertera sit. — *Concil. Nicaeense*. Can. III.

(3) 1° Contra eos qui subintroductas habent virgines ; 2° Quod regulares feminae viris cohabitare non debeant.

δεχόμενοι, καὶ ἀντὶ τῶν εὐνούχων γινόμενοι σοβοῦσι καὶ προηγούμενοι μεγαφρονοῦσιν, ὁρώντων ἁπάντων καὶ οὐ καταδύονται (1). »

Praecavendum alteri malo censet Chrysostomus ne magnam virgo jacturam patiatur. Nempe vetat eam frequenter ac inutiliter foras progredi (2). Nam etsi jam ab ecclesia sancitum erat ut virgines domi sederent non raro tamen in foro ambulabant ut adulationes captarent aut sui moverent admirationem. Tales postea his verbis carpebat : « Τίνος γὰρ ἕνεκεν, εἰπέ μοι, καλεῖς τοὺς παριόντας ; τί δὲ ἐξάπτεις τὸ πῦρ ; πῶς δὲ νομίζεις εἶναι καθαρὰ τῆς ἁμαρτίας, πᾶσαν αὐτὴν ἐργασαμένη. Καὶ γὰρ τέλειον εἰργάσω μοιχὸν τὸν ἁλόντα σου τῷ σχήματι τούτῳ · (3) » Saepius eadem de re in homiliis agit. Multa de mulierum ornatu verba facit vehementerque dolet quod virgines ipsae vestium cultu nimio delectantur. « Χριστὸν ἔχεις νυμφίον, τί ἐραστὰς ἀνθρώπους ἐπισπᾶσαι ; Μοιχείας σε τότε κρινεῖ. Διὰ τί μὴ κοσμῇ τὸν κόσμον τὸν αὐτῷ ἀρέσκοντα, τὸν αὐτῷ φίλον, τὴν αἰδῶ, τὴν σωφροσύνην, κοσμιότητα, τὴν σώφρονα καταστολήν ; αὕτη πορνική τίς ἐστι καὶ αἰσχρά· Οὐκέτι διαγινώσκομεν τὰς πόρνας καὶ τὰς παρθένους (4). »

Neque communes tantum foras exeundi occasiones virginibus praescindendas esse censet Chrysostomus. Ipsas quoque amovendas arbitratur ab iis locis qui-

(1) Contra eos qui..., 10.

(2) Οὔτε γὰρ εἰς ἀγορὰν αὐτὴν ἐμβάλλειν ἐφίεται συνεχῶς. — III, 17. — Jam et veteres domi habebant virgines easque raro admodum in publicum prodire sinebant. Sic Euripides in Oreste :

Εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν ·

Haud aliter Seneca in Agamemnone :

Quo more coetus publicos virgo subis ?

(3) Quod regulares feminae viris cohabitare non debeant, I.

(4) In *Epist.* I ad Timoth., cap. II. Hom. VIII, 3.

bus vel pii conventus aguntur, si quid periculi earum virtuti subeundum sit. Ideo eas a funeribus ac pervigiliis prorsus arcet (1). Jam enim antiquitus apud christianos institutum erat ut noctes festis diebus praecedentes vigilando ac precando consumerent (2). Non aliter ad martyrum sepulchra conveniebant ibique noctis tempus terebant canticis. Quot quantaque pericula hujusmodi vigiliae virginibus necnon mulieribus inferrent, facile intelligi potest. Constat malas consuetudines inde apud christianos irrepsisse ut liquet ex Eliberitano concilio quod legem sanxit ne mulieres talibus conventibus jam adessent (3).

Denique aliud erat episcopo negotii quod judicis nonnumquam partes sustinere debebat. Jam enim Paulus Corinthios carpebat quod judicio coram ethnico judice contenderent eosque hortabatur ut lites suas ad sanctos ecclesiae id est ad praesules deducerent (4). Hinc mos sensim invaluerat ut christiani in controversiis tollendis ad episcopum sese confugerent. Quo factum est ut brevi tempore praesules sibi

(1) Δεῖ δὲ καὶ ἐκφορῶν καὶ παννυχίδων ἀπείργειν. III. 17.

(2) Cf. Basil. *Epist.* classis II, ep. 108 et Euseb., II, 17.

(3) Placuit prohiberi ne feminae in coemeterio pervigilent eo quod saepe obtentu orationis latenter scelera committant. — Can. 35.

(4) 1. *Ad Cor.*, IV, 4.

Τῶν δὲ ἐπισκόπων ἐπικαλεῖσθαι τὴν κρίσιν, ἐπέτρεψε τοῖς δικαζομένοις, ἢν βούλωνται τοὺς πολιτικοὺς ἄρχοντας παραιτεῖσθαι· κυρίαν δὲ εἶναι τὴν αὐτῶν ψῆφον καὶ κρείττω τῆς τῶν ἄλλων δικαστῶν, ὡσανεὶ παρὰ τοῦ βασιλέως ἐξενεχθεῖσαν· εἰς ἔργον τὰ δὲ κρινόμενα ἄγειν τοὺς ἄρχοντας καὶ τοὺς διακονουμένους αὐτοῖς στρατιώτας. » Soz. I. 9.

magnam conciliaverint auctoritatem. Ea tamen auctoritas quae primum intra limites ecclesiae quodammodo continebatur, nihil ante rati habuit quam, vexationibus cessantibus, religio christiana jus suum obtinuerit a principibus. Qui quum vidissent quantum ad lites componendas haec agendi ratio valeret, eam decretis suis firmarunt ac probarunt.

Jam Constantinus cuique potestatem fecit ut, parte adversa aegre non ferente, coram episcopo litem oraret. Quin etiam episcopos, in hujusmodi sententiis pronuntiandis, ejusdem potestatis fecit atque judices a se ipso constitutos. Eadem ferme postea sanxerunt Arcadius et Honorius dum episcopo jus concesserunt in civili negotio pronuntiandi (1).

Utcumque res sese habebat, summam saepe molestiam episcopis illud inferebat et facile intelligitur nonnullos acerbe doluisse quod sibi tantum onus fuerit impositum (2). Chrysostomus quidem monet hoc judicis munus tantas episcopo parere difficultates quantas ne forenses quidem judices subeunt; imo multum ipsi periculi afferre « Πολλοὶ γὰρ τῶν ἠδικημένων, οὐχ ἧττον τῶν

(1) Episcopale judicium sit ratum omnibus qui se audire a sacerdotibus elegerint, eamque illorum judicationi adhibendam esse reverentiam quam vestris referre est necesse potestatibus, a quibus non licet provocare, per judicum quoque officia, ne sit cassa episcopalis cognitio, definitioni exsecutioni tribuatur. — *Inst. Just.*, Lib. I. Tit. IV, 8.

(2) Ignoscant obedientes fideles qui pro suis saecularibus causis raro nos quaerunt et judiciis nostris facillime acquiescunt nec nos conterunt litigando sed obtemperando potius consolantur. — August. *Enarr. in Psalm. CXVII.*

ἠδικηκότων τοὺς μὴ βοηθοῦντας μισοῦσι· καὶ οὔτε πραγμάτων διαστροφὴν οὔτε καιρῶν χαλεπότητα, οὔτε ἱερατικῆς δυναστείας μέτρον, οὔτε ἄλλο τοιοῦτον οὐδὲν λογίζεσθαι βούλονται (1). »

Ad haec, episcopus, ut boni judicis officio fungatur, necesse est domos circumeat, hos et illos invisat ex quo non nihil negotii oritur. Omnes enim invisi volunt et si quos episcopus paulo saepius adierit, aegre patiuntur alii ipsumque sacerdotem magna criminationum mole gravantur ac decidunt. Multa de hoc certamine acete ac subtiliter Chrysostomus quorum hoc unum satis erit afferre « Ἤδη δὲ καὶ βλέμματος εὐθύνας ὑπέχουσι. Τὰ γὰρ ἁπλῶς παρ' αὐτῶν γενόμενα βασανίζουσιν ἀκριβῶς οἱ πολλοί, καὶ μέτρον φωνῆς ἐξετάζοντες, καὶ διάθεσιν ὄψεως, καὶ ποσότητα γέλωτος. Τὸν μὲν δεῖνά φησι δαψιλῶς ἐπιγελάσας καὶ φαιδρῷ τῷ προσώπῳ καὶ μεγάλῃ προσεῖπε τῇ φωνῇ· ἐμὲ δὲ ἔλαττον καὶ ὡς ἔτυχε· καὶ ἂν πολλῶν συγκαθημένων μὴ πανταχοῦ περιφέρῃ τοὺς ὀφθαλμοὺς διαλεγόμενος ὕβριν τὸ πρᾶγμά φασιν οἱ λοιποί (2). »

Hactenus de difficultatibus episcopo subeundis. Haud minoris operae pretium est indagare quantam doctrinam qualemque dicendi artem Chrysostomus in sacerdote desideraverit. Quae pars ejus operis permagnum habet momentum, sive ad illa sive ad quaeque tempora respicis.

Tunc quidem ecclesia multis haeresibus, arianorum praesertim errore, lacerabatur iisque egebat viris qui ipsam ab hostibus defenderent fideique dogmata verbis stabilirent ac scriptis. Episcopus vero ut qui solus prope ecclesiam regeret, maxime idoneus esse

(1) III, 18.
(2) *Ibid.*

debebat qui haereticos confutaret atque in disputando veritatem limaret.

Praeterea episcopus, ut jam dictum est, homilias concinnabat frequentes, rudes animos erudiebat sive in enarranda Scriptura sive in catechesibus explicandis. In singulos fere dies apud fideles concionabatur. Porro, nisi laudem dicendi magnam consecutus esset, in periculum incidebat ne res sibi male succederet.

Aliter quidem nonnullis placebat. Erant enim qui concionandi facultatem minus necessariam esse sacerdoti arbitrarentur. Quod placitum ut defenderent apostolos dictitabant homines rudes ac imperitos exstitisse, eos effecisse tamen ut mundum prope universum ad Christum perducerent. Afferebant quoque Pauli exemplum apud Corinthios sese sermone imperitum praedicantis (1) atque eo procedebant ut sacerdotem ex sacra unctione miro quodam modo scientiam totam haurire censerent (2).

De his omnibus exquisita doctrina summoque ingenio disputat Chrysostomus. Tantam quidem in verbo ponit virtutem ut sine eo nihil ad animarum salutem effici posse existimet. « Τοῦτο ὄργανον, τοῦτο τροφή, τοῦτο ἀέρων κρᾶσις ἀρίστη · τοῦτο ἀντὶ φαρμάκου, τοῦτο ἀντὶ πυρὸς τοῦτο ἀντὶ σιδήρου · κἂν καῦσαι δέῃ καὶ τεμεῖν, τούτῳ χρήσασθαι ἀνάγκη · κἂν τοῦτο μηδὲν ἰσχύσῃ, πάντα οἴχεται τὰ λοιπά (3).

(1) *Ad. Corinth*, II, 6.

(2) I, p. 75.

(3) Cf. Basilium : « Ἡ γὰρ τῆς διαλεκτικῆς δύναμις τεῖχός ἐστι τοῖς δόγμασιν, οὐκ ἐῶσα αὐτὰ εὐδιαρπαστα εἶναι καὶ εὐάλωτα τοῖς βουλομένοις. » In Isaiam, II, 92,

Imprimis sacerdotem dialecticae peritum atque ad omnes controversias paratum esse oportet (1). Ille quidem, nisi omnibus ex partibus sese exhibuerit, non potest quin hostis per unam partem, si ea negligatur, sese immittat, magnamque faciat ruinam. « Καὶ γὰρ πόλις ἕως μὲν ἂν πανταχόθεν περιβεβλημένη τυγχάνη, καταγελᾷ τῶν πολιορκούντων αὐτὴν, ἐν ἀσφαλείᾳ μένουσα πολλῇ· ἐὰν δὲ πυλίδος μόνον τις μέτρον διακόψῃ τὸ τεῖχος, οὐδὲν αὐτῇ λοιπὸν ὄφελος τοῦ περιβόλου γίνεται, καίτοι γε τοῦ λοιποῦ παντὸς ἀσφαλῶς ἑστηκότος (2). »

Neque Chrysostomus de his tantum quae episcopo disputanda sunt sensa exponit, verum de modo etiam quo disputari debent. Multiplex quidem belli genus, multique sunt inimici quibuscum congrediendum est. Quapropter in praelio diligenter attendendum est ne, dum unius vim repellere studes, ab aliis tandem confodiaris. Chrysostomus exempla sumit ex erroribus qui tunc in ecclesia grassabantur. « Τί γὰρ, ὅτ' ἂν πρὸς Ἕλληνας μὲν ἀγωνίζηται καλῶς, συλῶσι δὲ αὐτὴν (τὴν τοῦ Θεοῦ πολὶν) οἱ Ἰουδαῖοι; ἢ τούτων μὲν ἀμφοτέρων κρατῇ, ἁρπάζωσι δὲ Μανιχαῖοι; ἢ μετὰ τὸ περιγενέσθαι καὶ τούτων, οἱ τὴν εἱμαρμένην εἰσάγοντες ἔνδον ἑστῶτα τὰ πρόβατα σφάττωσι (3). »

(1) IV, 3.

(2) IV, 4. — Eadem ferme placent Nazianzeno qui in sacerdote eam desiderat scientiam quae omnia complectatur, nempe sacram illam philosophiam quae de mundis vel de mundo disserit, de materia, de anima, de mente et intelligentibus naturis, tam melioribus quam deterioribus, de providentia omnia constringente atque gubernante, tum quae modo rationi consentaneo evenire, tum quae modo terrenae atque humanae rationi repugnante accidere videntur. — *Orat. op.* 35.

(3) IV, 4.

Dein Chrysostomus ad eos evadit qui sibi verbo et exemplo Pauli concessum arbitrabantur ut nullam curam circa scientiam adhiberent. Primum eos reprehendit quod sese comparare sustinent illi viro qui tot tantasque laudes ab ecclesia meruerit. Paulus enim signorum gratia potissimum floruit. At vero si quis eam spiritus frameam habeat eumque fidei clypeum ut possit edere miracula et impotentium ora portentis obstruere, quid opus fuerit verbo (1)?

His addendum est quod Paulus non ille fuit idiota quem nonnulli vocant. Id enim perspici potest tum ex exemplo eorum quos saepissime verbis confutavit, tum ex illa admirabili doctrina quam cognitione plenam in Epistolis exaravit (2).

Ceteroquin Chrysostomus, ut sacerdotem vult esse dicendi peritum, ita in eo eam non requirit eloquentiam qualem apud veteres disertissimos invenias. « Ἐγὼ δὲ εἰ μὲν τὴν λειότητα Ἰσοκράτους ἀπῄτουν, καὶ τὸν Δημοσθένους ὄγκον, καὶ τὴν Θουκυδίδου σεμνότητα, καὶ τὸ Πλάτωνος ὕψος, ἔδει φέρειν εἰς μέσον ταύτην τοῦ Παύλου τὴν μαρτυρίαν, νῦν δὲ ἐκεῖνα μὲν πάντα ἀφίημι, καὶ

(1) Cf. Nazianzenum in Poemate de se ipso et in episcopos.

Δός μοι τὸ πιστὸν τῶν ἀποστολῶν ἑνός,
Ἄχαλκον εἶναι, πῆραν οὐκ ἐξημμένον,
Ἄραβδον, ἡμίγυμνον, ὡς δ' ἀσάνδαλον
Ἐφήμερον, πλουτοῦντα ἐλπίδας μόνας,
Μηδ' εὐπροσήγορόν τιν' εἰς δόξαν λόγου,
Τοῦ μὴ δοκεῖν θωπεῖον ἰσχύειν πλέον,
Μηδ' ἀσχολεῖσθαι πρὸς λόγους ἀλλοτρίους,
Τούτων τις ἔστω, καὶ τὰ πάντα δέξομαι.

V. 199 et seqq.

(2) IV, 7.

τὸν περίεργον τῶν ἔξωθεν καλλωπισμὸν, καὶ οὐδέν μοι φράτεως, οὐδὲ ἀπαγγελίας μέλει· (1).

Neminem reprehendit quod dictionis inops sit, aut compositionem nominum simplicem ac remissam exhibeat, dum cognitione dogmatum et accuratione polleat. Sacerdotem vult multo majorem curam circa res quam circa verba adhibere. Asseverat enim non fastu verborum, sed mente et Scripturarum peritia sensuumque vi opus esse (2).

Quae et talia haud raro reperias apud alios horum temporum auctores qui tum multa tum illam quoque simplicem ac sinceram dicendi rationem prope exstinctam esse dolebant. Sic Nazianzenus eodem ferme modo de eloquentia sacerdotali disserit. Sententia assurgat, ait, atque id nobis satis erit. Nihil est elegantiae, dabimus id volentibus. Noli mihi Sexti et Pyrrhonis tricas nectere. Valeat Chrysippus, procul sit Stagirita, sed nec praeclarum Platonis diligas dicendi genus, projice eorum ornamenta quorum aversaris doctrinam, philosopha in sermonis simplicitate, nobis placebis etiamsi imperite loquaris (3).

(1) IV, 6.

(2) Ὥστε οὐ χρεία κόμπου ῥημάτων, ἀλλὰ φρηνῶν καὶ Γραφῶν ἐμπειρίας καὶ νοημάτων δυνάμεως.

In *Epist.* ad Tit., cap. I. Homil., II, 2.

(3) Ὁ νοῦς ἀνείτω, καὶ τόδ' ἡμῖν ἀρκέσει.
Οὐδὲν τὸ κομψὸν, τοῖς θέλουσι δώσομεν.
Μή μοι τὰ ξέξτου, μηδὲ Πυῤῥωνος πλέκε·
Χρύσιππος ἐῤῥει, μακρὰν ὁ Σταγειρίτης

Ex iis modo dictis non quidem existimandum est Chrysostomum ac ceteros Patres eloquentiam prorsus respuisse. Quin eo magis eam commendabant quo majorem in ea virtutem ad populos movendos inesse putabant. Multum laboris in ea obtinenda insumendum dictitat Chrysostomus, ne quem dicendi imperitum irrideant homines, nedum ad meliorem frugem reducantur. Hanc quidem facultatem exercitationibus, quibus praesertim crescit oratio, alendam esse monet. « Ἐπειδὴ γὰρ οὐ φύσεως, ἀλλὰ μαθήσεως τὸ λέγειν, κἂν εἰς ἄκρον αὐτοῦ τις ἀφίκηται, τότε αὐτὸν ἀφίησιν ἔρημον, ἂν μὴ συνεχεῖ σπουδῇ καὶ γυμνασίᾳ ταύτην θεραπεύῃ τὴν δύναμιν (1).

At vero Chrysostomus multus in eo immoratur ne scilicet ille qui apud populum dicit, in gloriae inanis vitium incurrat. Huc sane dicentem deferebat plerumque audientium agendi ratio. Qui quum promptissimo essent ingenio multumque ponerent studii in laude dicendi, non ad utilitatem sed ad voluptatem saepe audire solebant. Hinc fiebat ut concionator, si

Μηδὲ Πλάτωνος στέργε τὴν εὐγλωττίαν,
Ῥίψον τὸ κάλλος, ὧν τὰ δόγματα ἀποστρέφῃ,
Ἐμφιλοσόφει τῇ εὐτελείᾳ τοῦ λογου·
Ἡμῖν ἀρέσκεις, κἂν ἀπαιδεύτως λαλῇς.

De se ipso et in episcop., 301 et seqq.

Non aliter sentiebat Hieronymus dum haec : « Venerationi mihi semper fuit non verbosa rusticitas sed sancta simplicitas. Qui in sermone se dicit imitari apostolos, prius imitetur virtutes in vita illorum in quibus loquendi simplicitatem excusabat sanctimoniae magnitudo et syllogismos Aristotelis contortaque Chrysippi resurgens mortuos confutabat. ». Ad Pammachium, *De optimo genere interpretandi.*

(1) V. 5.

laudum cupidine permoveretur, magis ipse ad gratiam quam ad audientium bonum dicere studeret, dum populares in plaudendo tumultus captaret (1).

Hoc enim jampridem apud rhetores usitatum erat ut audientium applausu probaretur si quis bene concinneque dicendo magis placuisset (2). Quae consuetudo usque in ecclesiam descenderat, quamvis multi contra intenderent. Jam, si Eusebio fides, Paulus Samosatensis multum in plausibus audiendis delectabatur. Quin etiam eos qui non laudarent nec, ut in theatris fieri solebat, oraria concuterent neque una cum fautoribus ipsius, viris ac mulierculis indecore auscultantibus exclamarent atque exsilirent, increpabat ac contumeliis afficiebat (3). Nazianzenus ipse, vir ille sanctissimus, ab ecclesia constantinopolitana jam discedens, sese in aegritudine esse fatebatur quod non plausus populi amplius audiret (4).

Fatendum est tamen Chrysostomum non prorsus

(1) V. 2. — Cf. Hieron. « Jam enim et in ecclesiis ista quaeruntur, omissaque apostolorum simplicitate et puritate verborum, quasi ad Athenaeum et ad auditoria convenitur ut plausus circumstantium suscitentur, ut oratio rhetoricae artis fucata mendacio, quasi quaedam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos quam favorem populi quaesitura et in modum psalterii et tibiae dulce canentis, sensus demulceat audientium. » In *Epist.* ad Gol.

(2) Cf. Philostrat. *Vit. Apoll.*, II, 8. — Dio. Cass., Lib. LXI, ad fin. — Hor., II. *Ep.* I. — Suet. *Vita vir.*, 20.

(3) VII, 30.

(4) Δεινὸν, εἰ στερησόμεθα λόγων καὶ συλλόγων καὶ πχναγυρέων καὶ τῶν κρότων τούτων ὑφ' ὧν πτερούμεθα. *Oratio*, XLII. Surprenum vale, XXIV.

id vitio dare si quis sibi dicendi laude magnam audientium gratiam conciliaverit ex eoque aliquid perceperit voluptatis. « Τὸ γὰρ μὴ χαίρειν ἐπαινούμενον, οὐκ οἶδα εἴ τινι ἀνθρώπων ποτὲ κατώρθωται (1) » Has tantum laudes respuit quas dicentes sui ostentatione captare student ex quo efficitur ut nihil sibi audientes commodi obtineant. Ille qui dicit sermonem suum ad Dei placitum concinnare debet. Si forte et ab hominibus laudetur, laudes ne rejiciat ; sin laudes ab auditoribus non referat, nec quaerat illas, nec ideo doleat (2).

Eadem quoque proferebat quum ipse cum audientium applausu dicebat. Nam, aiebat, si quidem plaudentes illi utilitatem consecuti immutati meliores effecti sunt, et a pristinis malis recesserunt, gaudendum utique est, non de laudibus sed de mirabili illa mutatione. Quod si perpetuo laudantes, tumultuantes, plaudentes, nihil ex plausibus lucrentur, dolendum magis est quod haec illis in judicium et damnationem cedant (3).

Denique, ut ea pars absolvatur, censet Chrysostomus nihil in sacerdote ad alios docendos magis valere quam bonos mores ac vitae prorsus integrae exemplum. « Καὶ γὰρ ὅτ' ἂν αὐτὸς ἀνεπίληπτος ἅπασι γένηται, τότε

(1) V. 4.

(2) Εἰ μὲν ἐπαινοῖτο καὶ παρὰ τῶν ἀνθρώπων, μὴ διακρουέσθω τὰ ἐγκώμια, μὴ παρεχόντων δὲ αὐτὰ τῶν ἀκροατῶν, μηδὲ ζητείτω, μηδὲ αλγείτω.

(3) In *Epist.* ad Tit.. cap. I, Homil., II.

δυνήσεται μεθ'ὅσης βούλεται ἐξουσιας καὶ κολάζειν καὶ ἀνιέναι τοὺς ὑπ' αὐτῷ ταττομένους ἅπαντας (1). »

(1) V. 3. — Cf. Naz.

Ἓν ἔστω τοῦδ' ἔργον ἱερέως καὶ μόνον,
Ψυχὰς καθαίρειν ἐν βίῳ τε καὶ λόγῳ...
Τρόπου γὰρ οὐδέν ἐστι πιθανώτερον.

De se ipso... 775 et seqq.

CAPUT IV

DE PRAESTANTIA CHRYSOSTOMI OPERIS

Haec sunt quae in Chrysostomi dialogo praecipue disseruntur. Sunt quidem et alia multa quae non nihil momenti habeant. Verum ea in medium proferre forsan longius sit quam pro proposito nostro. Illa quae exposuimus satis superque sunt ut facile perspiciatur hujus operis haud spernendum esse auctorem. Eam potissimum Chrysostomus laudem meretur quod rerum, de quibus disserit, ullam nondum expertus, singulas tamen exquisitissima doctrina persequitur et explicat. Si quid vero permagni laboris requirere videtur, dum episcopum ita in turba ac in luce vult vivere ut nulla re turbetur atque integro animo ac libero munus suum impleat, haud infitiari potest quin sacerdotis eximiam adumbraverit imaginem in eo praesertim loco quo placitorumsuorum quodammodo breviter contraxit summam. « Neque enim, inquit, purum duntaxat esse oportet, utpote qui tanto ministerio dignatus sit, sed etiam prudentem et rerum peritum multarum : multa quoque saecularia nosse debet, non minus quam ii, qui in medio rerum versantur, omnibusque tamen exutum magis quam monachi, qui montes occuparunt. Nam cum necesse sit eum cum viris versari, qui et uxores habent et liberos

alunt, servos possident, qui divitiis circumfluunt, res publicas agunt et in magistratibus versantur, multiformem illum esse par est. Multiformem dico, non subdolum, non adulatorem, non hypocritam ; sed multa libertate ac fiducia plenum, qui sese utiliter attemperare sciat, cum id negotiorum conditio postulat : mansuetum item et austerum. Non enim uno uti oportet modo erga subditos omnes, quandoquidem nec medicis una erga aegrotos omnes lege uti convenit, neque gubernatori unam tantum cum ventis pugnandi artem callere : etenim hanc quoque navem assiduae tempestates jactant undique (1). »

Etsi vero Chrysostomus a multa laude non abest, nemini tamen praetereundum est, in ejus aestimandis libris, ei sententiarum auctorem quemdam adfuisse ac magistrum. Haud igitur prorsus ab re videtur eum cum Nazianzeno conferre ut manifestius appareat quid alter ab altero mutuatus fuerit.

In utroque primum pietas propemodum ex aequo certat cum ingenio eademque cura circa ecclesiae dignitatem attingit utrumque. Nam ambo sacerdotii onus, cui sese impares existimabant, ultro fugerunt exemploque necnon scriptis efficere voluerunt ne quis ad tantum munus temere accederet. Nazianzenus quidem, etsi non nihil de proposito suo remisit quippe qui officium resumpserit, eadem tamen vi verborum et auctoritate sententiae suae rationem explicat.

(1) VI, 4.

Quod ad sacerdotii dignitatem operisque difficultates attinet, eadem prope placita uterque profert atque evolvit. In hoc consentiunt ambo ut quempiam onus suscipere vetent qui se a Deo vocatum ipse non perspexerit. Praeterea in sacerdote tot tantasque tum animi tum intelligentiae dotes requirunt ut perpauci solum illo munere fungendo digni esse videantur.

Praestat quidem Nazianzenus in sacerdote conferendo cum ovium pastore, quam similitudinem e Scriptura excerptam plurimis exsequitur verbis atque amplificat. Multus quoque est in morbis animae cum corporis morbis comparandis. Neque infitiandum Chrysostomum iisdem de rebus disputantem non pauca e Nazianzeno ad usus suos devertisse. Ille vero aliud similitudinum genus persequitur dum sacerdotem cum rege ac parentibus ipsis comparat (1). Quin etiam in ultima operis parte, in certamen deducit monachum qui securam in solitudine agit vitam et sacerdotem qui in tumultu publico aegre laborat, ex quo appareat quanto major virtus in episcopo desideretur quam in monacho. Nam, ait, qui in portu ad gubernaculum sedet, nondum idoneum artis suae periculum fecit, eum vero qui in medio pelago, saeviente tempestate, navem eripere potuit, nemo est quin gubernatorem optimum dicat (2).

(1) III, 5 et 6.

(2) Ὁ μὲν γὰρ εἴσω λιμένων ἐπὶ τῶν οἰάκων καθήμενος, οὔπω τῆς τέχνης ἀκριβῆ δίδωσι βάσανον· τὸν δὲ ἐν μέσῳ τῷ πελάγει καὶ τῷ χειμῶνι δυνηθέντα διασῶσαι τὸ σκάφος, οὐδεὶς ὅστις οὐκ ἂν εἶναι φαίη κυβερνήτην ἄριστον. — VI. 6.

Eamdem quoque curam ponunt ambo auctores circa animas regendas, quam artem tot tantisque difficultatibus implicatam censent ut is qui ab omni parte solertem ac prudentem sese exhibuerit maximas laudes jure ac merito obtinuerit. In quo Chrysostomus pleraque sua commentata ex opere Nazianzeni protulit nisi quod ea novo disposuerit ordine vel paulo brevius contraxerit.

Idem dicendum videtur de confutandi arte quam ambo exquisitissimis rationibus commendant. Eamdem institutionem ac viam docet Chrysostomus atque Nazianzenus, iisdem fere argumentis utitur ut promptus sit sacerdos ad errores circa fidem impugnandos atque refellendos.

De multitudine erudienda Nazianzenus abunde disserit ac in eo circa res tenues moratur, dum censet ut sacerdos ad intellectum audientium descendat. Quae de ratione dicendi disputat Chrysostomus, in universum magis proferuntur atque ideo latius patent ut eas laudes, quas in sacerdote requirit, saepe in oratore vel forensi desiderare possis. Utrique tamen placet idem elegans ac praeclarum encomium Pauli prosequi quem unum sermonis utilis ac sinceri testem atque assertorem praedicant ambo (1).

Neque multum discrepat Chrysostomus a Nazianzeno in delictis sacerdotum recte aestimandis paenisque sumendis. Ambo quidem assentiuntur huic jam scriptoribus profanis probato scito, nempe eo majus

(1) *Orat. ap.*, 53. — *De sacerd.*, IV, 6 et 7.

exstare delictum eoque gravius puniendum quo altiore dignitate fuerit culpans praeditus (1). Quod ad confirmandum multa Nazianzenus e duobus Testamentis argumenta affert excerpta. Chrysostomus in sententia sua exploranda, ex ipsius rei natura plerasque rationes depromit, haud prorsus neglecta Scriptura qua tamen in ea parte paulo parcius utitur.

Denique, ut in pauca rerum summam conferamus, id constare videtur, nempe Chrysostomum qui indubitate Nazianzeni orationem sedulo lectitavit, tamen pro virili parte aliquid novi proferre voluisse. Sunt enim in ejus opere non pauca quae apud Nazianzenum frustra quaeras, quaeque ex illo auctore mutuatus est eadem plerumque tractavit quasi non aliena, sua vero propria exponeret. Adde quod in placitis suis probandis, Nazianzenus, ut recte animadvertit Volkius (2), ad vetus Testamentum se vertit; Chrysostomus vero Testamento novo commentarium suum potissime firmat.

Praeterea perraro tantum Chrysostomus devenit ad hanc reconditiorem theologiam ac mysticam quam saepius Nazianzenus in disputando usurpat (3). Ita vero suam tractat materiam ut res hominesque aetatis suae semper ante oculos habere videatur. Hinc effici-

(1). Idem profert Juvenal, *Sat.* 8 :

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

(2) *Loc. cit.*, p. 60.

(3) Quae causa est cur Nazianzenus Theologi nomine decoratus fuit.

tur ut in ejus libris plura reperias quae ad mores dignoscendos non nihil conferant. Quae discrepantia ab eo potissimum proficiscitur quod ambo auctores non eamdem scribendi viam usurparunt. Nazianzenus quidem quippe qui a fugae culpa apud populum dicendo sese liberaret, orationem suam in homiliae modum concinnavit. Chrysostomus materiam diu meditatam dialogi inclusit forma de qua nunc pauca disserenda sunt.

Si quis primum quaerit qua ratione inductus Chrysostomus hanc orationis formam adhibuerit, facile comperiet id ad ipsius dialogi naturam pertinere. Dialogus quidem, quum nihil sit aliud nisi sermo constans ex quaestione ac responsione, ad institutionem tractationemque veri maxime aptus esse videtur. Nam non satis habet is qui ita disserit, sententiam suam vel exquisitissimis rationibus exposuisse. Ea quoque quae proferuntur ab aliis personis cum ipso colloquentibus, diluere ac dissolvere debet. Quae quidem disputandi ratio quantum efficiat ut omnia illustria magis magisque in aperto sint, vix est quod moneamus.

Dialogi vero forma non tantum ad disserendi vim plurimum valet. Quum enim plures cum pluribus disputantes inducantur, orationi vita quaedam accedit et motus quem difficilius parem in narratione autin commentatione mera invenias. Hinc fit ut ille qui legit multum quoque delectationis ac suavitatis magno cum fructu percipiat.

Unde vero Chrysostomus illud scribendi genus

sumpserit, nullo modo ambigi potest. In hoc sane Platonem ipsum magistrum habuit. Hunc enim philosophum in suis libris saepe commemorat. Ejusdem placita non sua quidem esse declarat. Attamen non potest quin eum omnium philosophorum longe praestantissimum dicat (1), ejusque sublimitatem in dicendo probatam sibi esse fateatur (2). Non igitur mirum est si in dialogo componendo illum praeclarum auctorem imitari voluit. At vero in quonam differant Chrysostomus et Plato, in quonam secum conveniant, jam est explanandum.

Constat quidem Platonem illud scribendi genus egregie tractasse propeque ad summum perduxisse ut sequentibus scriptoribus norma quaedam et regula exstitisse videatur. Apud Platonem id prae se fert dialogus ut ad fabularum scenicarum speciem ac similitudinem proxime accedat. Hic enim scena constituitur in eo loco quo res agitur et personae quae inducuntur ita ad institutionem vitae describuntur ac sermonem suum digressionibus aut conversionibus producunt ut inter legendum non subtilius aliquam disputationem de philosophiae ratione audire videaris, sed fabulae alieni tragicae vel comicae vel satyricae spectator interesse (3).

Haud ita prorsus rem gerit Chrysostomus. Nullum enim in dialogo suo certum locum scenae instituendum

(1) In *Epist.* ad Rom. Hom., III, 3.

(2) *De sacer.*, IV, 6.

(3) V. Stallbaum. *Platonis opera omnia.* Gothae (1835). I, Int.

curavit. Adit amicum Basilius illique assidet, verba facere cupiens : nihil amplius (1). De illo Basilio jam omnia novimus quum loquens inducitur atque nihil fere novi quoad ejus mores rationemque sentiendi affert sermonis perpetuitas. Quod contra in Platonis dialogis quibus personae colloquendo sese exhibent atque naturam suam perspectam faciunt.

Neque sermonen Chrysostomi cum actione dramatica merito conferas. Duo tantum adsunt amici quorum alter alteri suam sententiam multis quidem verbis aperit. At Chrysostomus, ut Plato ipse, orationem suam saepe forma poetica includit ut facile appareat eum haud aliter ac Platonem ad poetas legendos multum studii profecto contulisse.

Quoad internam dialogi formam disserendique viam ac rationem, quaedam quoque notanda sunt. Genus enim dialogi duplex esse potest ; alterum quod plerumque enarrat, alterum vero quod in inquirendo aut in confutando versatur. Plato, etsi utrumque ex tempore usurpare solet, dialectica tamen forma maxime delectari videtur quo sibi summam laudem conciliavit.

Chrysostomus quidem, ut jam res nullo scenico apparatu exornatas exhibuit, ita dialogum quoque ad narrationis formam instituit. Quum enim ea quae tractanda affert hujus generis sint ut non disputare verum docere potissimum conveniat, nullus fere disputationi conceditur locus. Invenias sane passim et

(1) I. 6.

interdum nonnulla quae legenti disputationis speciem praebeant. Duo enim amici ubique inter se colloquio disceptare videntur. Sed revera solus propemodum dissèrit Chrysostomus, nec usquam interrogationem aut contradictionem deprehendas nisi cum in eo res est ut dicta sua auctor Basilio probata velit aut ad alia argumenta transire (1). Non utitur Chrysostomus hac obstetrice, ut ita dicam, ratione quam felicissime usurpat Socrates neque verba aut cogitationes ex contradicentis animo elicere studet. Quae vero sentit, ea simplicius ac liberius vel quasi ex cathedra in medium profert. Hinc fit ut libri de Sacerdotio, etsi non eodem titulo continentur, quum tamen oratoriis narrationibus constent, similitudinem quamdam, vel quoad formam, cum Oratione apologetica praebeant et cognationem.

Dialogos Platonis vel leviter legenti videntur plerumque personae ad res, de quibus disputatur, improvisae quodam modo ac imparatae accedere. Casus, ut ita dicam, eorum colloquiis argumentum praebet disputatioque ita libera animorum agitatione

(1) Ut exemplum unum afferam, Chrysostomus jam animarum curam demonstravit esse ergo Christum amoris argumentum : Bas. Tu vero Christum non amas ? — Chrys. Et amo et amandi finem numquam faciam : at vereor ne quem amo eum irritem. — Bas. Ecquod aenigma obscurius fuerit ? Si Christus illum, qui se amet oves suas pascere jubeat : tu vero dicas ideo nolle pascere quia hoc præcipientem amas. — Chrys. Non est aenigma, imo res admodum clara et simplex.

Et suam demonstrationem prosequitur.

producitur ut incertum sit quem et qualem exitum sit habitura (1). Unde fit ut argumentum saepius deseri ac resumi videatur illique tot aliena ac diversa nonnumquam misceantur ut nisi permulta cogitatione nitaris ac diligentia, auctoris propositum haud facile discernere possis.

Ab illa disserendi ratione non prorsus abhorret Chrysostomus. Quem adit Basilius non ut amicum de sacerdotio disserentem audiat, verum ut accuset quod jus amicitiae ac promissi fidem violaverit. Neque quaestionem Chrysostomus fugitat ; quin in eam totum intendit animum ut nihil consilii habere videatur nisi ut criminationes tum amici, tum ceterorum quoque a se amoveat. Inde vero initium sumens singula sacerdotis officia persequitur ac definit ut non infitiari possis eum episcopi sinceram ac puram imaginem depingere voluisse. Haec profecto primaria est operis sententia in cujus expositione ac illustratione omnia tanquam in cardine aliquo versantur.

Crediderit forsan aliquis hunc egregium Libanii discipulum in eo peccasse quod nullum ordinem certum in opere suo adhibuerit. Nam praecepta quae multa ac varia tradit non uno eodemque principio proficisci videntur neque ita inter se coalescere ut nos commissura non decipiat (2).

Rem vero diligenter aestimanti, apparet tamen

(1) Stallbaum. *Ibid.* — Cf. quoque A. Croiset. *Hist. de la littérature grecque*, IV.

(2) P. Albert. — *S. Jean Chrys.*, p. 365.

omnia in hisce libris eadem coagmentata ratione ac quodam modo inter se esse juncta ut feliciter constent et ad unum eumdemque finem conspirent. Sive enim Chrysostomus amici criminationes diluit, sive de moribus officiisque episcoporum simpliciter disserit, nihil in toto ejus opere deprehendas quod ad sacerdotii dignitatem non valeat. Quin etiam quum aetatis suae vitiosos sacerdotes carpit aut perniciosas in ecclesiam irrumpentes consuetudines insectatur, rem ita gerit ut inter illa mendosa clariore luce emineat sacerdos pius omnique culpa carens cujus imaginem absolutam in suis commentationibus reddere contendit.

De mythis vero et fabulis illis quas saepissime Plato usurpat ut ad legentis voluptatem dialogos suos ornet aut aliam quamdam narrandi ac docendi viam exhibeat, cum de iis rebus agitur quae dialectica pervestigatione certius exquiri nequeunt (1), nullus hic sermo esse potest. Hujusmodi enim ea sunt quae Chrysostomus disputat ut fabulis illis facile careant. Attamen verisimile est eum cum philosopho paria facere voluisse dum prope ad orationis exitum duas paulo longiores producit allegorias quo magis amico placita sua probata habeat. Quarum altera praesertim qua pugnae apparatus magna vi verborum describitur bellique innumerae calamitates oculis subjiciuntur,

(1) Cf. E. Zeller. — *Die philosophie der Griechen. Zweitèr Theil.* Leipsig, 1875, p. 803-804. — P. Janet. *Etudes sur la dialectique dans Platon et dans Hegel.* Paris, 1861, p. 87. — Socrates ipse in Phaedro quam utilis sit mythorum in sermonibus philosophis usus memorat et explicat.

platonicam rationem leviter redolet atque imitatur (1).

Neque Chrysostomus ab illa socratica ironia prorsus abstinuit. Callidissimis enim amicum suum argumentationis laqueis involvit atque irretitum solertibus rationibus habet, licet acutius interdum disserat atque argutius (2). Quin et ludibrio quodam levi nonnumquam scite utitur dum inopinatas quasdam conversiones apud amicum facit ac praeter omnium opinionem nonnulla afferre videtur. Attamen animi sermonisque semper compos est disceptationemque quo vult egregie ducit.

Plurimum ironiae in eo inest quod Chrysostomus, quum sacerdotium ipse refugerit, de sacerdotio tamen apud amicum, hac dignitate praeditum, summa cum auctoritate disputat. Hinc evenit ut sub dialogi finem, quemadmodum apud Platonem plerumque solet, personae prorsus commutatae evadant ac discedant. Basilius qui ad id accesserat ut amicum suum reprehenderet, ejus verbis permotus, in hoc se ipse castigat quod sibi tantam dignitatem assumere fuerit ausus. Chrysostomus vero, qui initio dialogi reus sese defendebat, postremo amico quasi poenitenti solatia praebere cogitur (3).

Invenias sane cum Volkio (4) hunc Chrysostomi

(1) VI, 12.

(2) V. II, 1.

(3) Ἐπὶ τούτοις πλέον ἐκεῖνος δακρύσας ἀνίσταται· ἐγὼ δὲ αὐτῷ περιχυθεὶς, καὶ καταφιλήσας τὴν κεφαλὴν, προὔπεμπον, παρακαλῶν γενναίως φέρειν τὸ συμβεβηκός.

(4) *Op. cit.*

dialogum quaedam cum Platonis Protagora communia habere. Ut Chrysostomus cum Basilio, ita Socrates colloquium evolvit quod cum inclyto sophista habuit ac in utroque sermo plerumque narrationibus contineri videtur. Haud tamen longius procedit similitudo. Nam et locus quidam in Protagora disputationi conceditur et Platonis dialogus magis ad speciem dramaticam accedit ut personae quae inducuntur coram nobis vivere ac disserere videantur.

Utcumque res sese habet, nemini dubium est quin hic Chrysostomi dialogus ceteris ejusdem operibus multo praestet tum argumenti majestate quo nihil amplius ac dignius est, tum dicendi arte qua tam feliciter usus est auctor ut nusquam alias sese excellentiorem praestiterit. Non enim alium nomines librum quo res ad sacerdotium pertinentes tanta pietate tantaque eloquentia disserantur, ut Chrysostomus, quemadmodum Nazianzenum exemplar ante oculos habuit, ita et ipse postea eadem scribentibus auctor exstiterit ac magister.

Jam coaevus quidam hosce numquam satis admirandos libros talibus laudabat verbis : « Dei arcanorum sapiens ille interpres Joannes Bysantii episcopus, atque adeo totius ecclesiae oculus, librum illum tam subtiliter et accurate concinnavit, ut omnes tum qui secundum Dei placitum, quam qui sacerdotio negligenter funguntur, hic tum virtutes, tum offensiones suas repraesentatas inveniant (1). » Neque

(1) Οὕτως αὐτὴν λεπτῶς καὶ πυκνῶς ἐξηκρίβωσεν, ὥστε πάντας τούς τε

satis habuit Isidorus illud praeclarum opus extollere verbis, quin ipse in scripta sua non semel sententias ac doctrinam Chrysostomi protulit (1).

Haud impari laudatione Nilus magistrum suum ornavit (2) et Hieronymus ipse qui eo tempore quo de viris illustribus librum concinnavit admodum pauca de Chrysostomo audierat, illius tamen opus de sacerdotio legisse fatetur (3).

Vix dubitari potest quin doctissimus ille vir, Gregorius, qui de pastoris officiis tam apte scripsit, Chrysostomum habuerit auctorem unde praecepta quaedam disciplinae hauserit. Nam, etsi Nazianzeni nomen solum in medium profert (4), licet tamen in Libro regulae pastoralis pauca deprehendas, sive de vita pastoris (5) sive de arte praedicationis (6) quae haud immerito a Chrysostomo tanquam e fonte repetere possis.

Nonnulla quoque Chrysostomi doctrinae reperias vestigia in hoc divi Bernardi opere quod inscribitur :

κατὰ θεὸν ἱερατεύοντας, τούς τε ῥαθύμως ἱερατικὴν μεταχειρίζοντας, ἐν ταύτῃ τὰ οἰκεῖα εὑρίσκειν κατορθώματά τε καὶ σκώμματα. Isidorus Pelusiota Eustathio. I, *Epist.* 156.

(1) Passim *in Epistolis.*

(2) *Epist.* ad Amblichum curatorem.

(3) Joannes Antiochenæ Ecclesiae presbyter Eusebii Emiseni Diodorique sectator multa composuisse dicitur de quibus *περὶ ἱερωσύνης* tantum legi. — CXXIX.

(4) III part. *Prolog.*

(5) I, 10.

(6) III, 1 et 2.

De moribus et officio episcoporum. Sive enim doctor ille fortissimus veri sacerdotis imaginem depingere studet, sive clericorum ambitionem perstringit, rem ita gerit ut Chrysostomum ipsum eadem disserentem legere videaris (1).

Nec quisquam postea de tandis rebus scribere coepit quin prius accurate hos aureos perlegerit libros. Sagacissimus ille vir. Tillemontius, eosdem principium esse asseverat et fontem ex quo optima ac purissima de sacerdotio praecepta haurire possis (2).

Quod ad stylum ac scribendi artem attinet, convenit inter prudentissimos, Chrysostomum orationem suam ita exaravisse ut nihil unquam accuratius ediderit ac perfectius. Quod ex eo intelligi potest quia auctor, ut jam dictum, opus suum in solitudinis otio excogitavit illudque nondum sacerdotii curis implicatus elaboravit ac perpolivit, quod diligentius est inspiciendum.

Etsi primum, ut ait Hieronymus, ecclesia Christi non de Academia et Lyceo, sed de vili plebecula congregata est (3), in eam brevi pervenerunt qui politioris humanitatis haud inexpertes erant. Saepe enim fiebat ut sophistae rerum impatientes arteque sua elati, aut philosophi quos taedebat incertae disciplinae, ad novum accederent cultum AEgyptiorumque divitias, ut dici solebat, in Israelitarum exercitus transferrent.

(1) V. cap. III et VII.
(2) *Mémoires*, XI, p. 13.
(3) *Op*. VI, 469.

Hinc bene dicti studium pedentetim invasit christianos qui iis artibus quibus gentiles ipsi errores suos defendebant, nempe dicendi laude, uti quoque coeperunt.

Quae agendi ratio quarto potissimum saeculo viguit. In id profecto studuerunt hujus patres aetatis ut virorum Graeciae disertissimorum aemulos sese exhiberent, qua re id impetraturos credebant ut in audientium aut legentium animos facilius altiusque influerent. Neque Julianum fugit quantam vim Christi discipulis adderet dicendi facultas. Quam ob rem eos ab humanioribus litteris removendos edicto curavit (1). Quae quidem lex ad id tantum valuit ut fideles ad veterum libris impensiorem operam dandam impelleret. Id enim, quod ceteri sentiebant, prae se tulit Nazianzenus in hoc saepe usurpato scito : « Cetera quidem omnia volentibus reliqui, opes, generis nobilitatem, gloriam, potentiam, aliaque quae terrenae hujus jactationis sunt et vanae oblectationis. At sermones solos complector nec habeo quod labores tum terra tum mari susceptos incusem qui eos mihi compararunt (2). »

Omnes fere graeci Patres, quorum tamen unam supra diximus fuisse vocem ut illa apostolorum simplicitas desideraretur, commentationes orationesque suas omni ingenii vi ac subtilitate ornaverunt. Quod ex eo intelligi potest quod plerique sophistas ac rhe-

(1) *Op. Jul.*, II, p. 545.

(2) Τοῦ λόγου δὲ περιέχομαι μόνου· καὶ οὐ μέμφομαι χερσαίοις τε πόνοις καὶ θαλασσίοις; οἳ τούτους μοι συνεπόρισαν. — Contra Jul., I, c.

tores audierant e quorum scholis id eloquentiae retulerant studium quod postea numquam abjicere potuerint.

In omnibus sane scriptis hanc Chrysostomus dicendi laudem protulit. Nam quemadmodum res scit invenire et disponere, ita quoque verba eligendi et collocandi rationem percipit non ita tamen ut ubique eumdem sese exhibuerit artificem eamdemque industriam atque in Dialogo de sacerdotio praestiterit. Nam Chrysostomus haud ab uno scriptor exstitit. Imprimis non videtur a vero multum aberrare si quis in ejus operibus Libanii scriptum agnoscit. Praeclarus ille rhetor, cui sese addixerunt celebratissimi Patres, non aeque aestimandus est atque ceteri hujus aetatis sophistae. Postquam enim ex eorum praeceptis nihil se referre sensisset, statim ab eis discessit (1). Magnum eloquentiae amorem in animo conceperat asseverabatque si sibi optio daretur seu ad Aristidis (2) ingenium vel leviter accedere, seu Midam regem vincere mallet divitiis, ad primum se conversurum (3).

Ipse quidem *ἀρχαίως* scribere studuit ut verba multa ex vetustate eruerit (4). Jam quum apud juvenes de arte dicendi declamationem haberet, eos summopere hortabatur ut sese dederent veteribus Demosthe-

(1) *'Επεὶ δ'ἤνυτον οὐδέν, ἀλλ' ἦν κίνδυνος ἡγεμόσι τυφλοῖς ἑπόμενον εἰς βάραθρον ἀμαθίας πεσεῖν, τοῖς μὲν χαίρειν εἶπον.* — Opera (Reiske), I, p. 8.

(2) Cf. E. Norden. *Die antike kunstprosa*, I, p. 401.

(3) *Op.*, III, p. 347.

(4) Eunapius. Vit. Lib. in : *Philostratorum*, *Eunapii*, *Himerii*, Opera, p. 496.

nemque potissimum lectitarent (1). Quae quidem ipse scripsit omnibus dictionis veneribus decorantur. Ejus libri, ait Eunapius, scatent gratia et facetiis comicis, et elegantia quaecumque circumcurrit orationi subserviens ; affluit et lepos ac grata jucunditas (2). In verbis adhibendis et collocandis maxime diligens est, parum vero ad rerum inventionem respicit ideoque viribus minor. « Ὁ δὲ λόγος αὐτῷ περὶ μὲν τὰς μελετας, παντελῶς ἀσθενὴς καὶ τεθνηκὼς διδασκάλου (3). »

Hanc dicendi jucunditatem verborumque industriam potissimum in libris de Sacerdotio praestitit Chrysostomus. Non aliter sentit Suidas qui illud opus eximium esse profert tum sublimitate et dictione tum lenitate et elegantia verborum (4). Idem placuit omnibus qui in illius dialogi novis editionibus edendis laboraverunt. Quos inter Hughes qui quum fateretur nullum majoris momenti esse librum ad germanam sacerdotii dignitatem illustrandam, haec subdebat : « Quid enim sacerdotio christiano dignius, quid sublimius dici aut fingi potest? Quid e contra Chrysostomi stylo splendidius, quid periodis numerosius, quid verbis felicius excogitari queat (5). »

Jam haud incomposite profecto de monachorum soli-

(1) *Op.*, I, p. 202.

(2) *Vit. lib.*, p. 496.

(3) *Ibid.*

(4) Οὗτος (Ἰωάννης) πολλὰ συγγράψαι λέγεται, ἀφ' ὧν οἱ περὶ ἱερωσύνης ὑπερβάλλουσι λόγοι τῷ τε ὕψει καὶ τῇ φράσει καὶ τῇ λειότητι καὶ τῷ κάλλει τῶν ὀνομάτων. II, p. 130.

(5) Praef.

tudine et de virginitatis laude scripserat, nec parvum adhibuerat ingenium in Stagyrio a tristitia revocando. Ejus tamen oratio in hanc facilitatem non exierat ac virtutem quae toto ex opere de Sacerdotio eminet atque splendet.

Neque Chrysostomus postea, in homiliis suis, tantam verbis et compositioni curam dedit. Ei quidem non vacabat hunc laborem perferre emendationis quae est pars studiorum longe utilissima, ut ait Quintilianus (1). Qui enim scribit, non ut extemplo dicat, scripta sua in aliquod tempus reponat licet ad eaque aliquanto spatii elapso redeat ut digerat inordinata solutaque componat. Plerumque vero oratori contingit ut ad praesentes usus scribere debeat nihilque sit ei otii medias inter res ut opus lima poliatur. Ideoque ei aliquid ex cura verborum remittendum necesse est (2). Haud aliter Chrysostomo accidit. Qui, etsi plurimum ingenii ubique prae se fert, quum tamen saepius, quotidie fere, ex tempore dicere cogeretur, ab elocutione paulum respexit, eamque urbanitatem quam in libris de Sacerdotio consectatus est, nullo modo in homiliis exhibere potuit. Saepius enim ejus nimis quaesita est oratio, ad ostentationem et aurium voluptatem composita, mole laborans, nonnunquam tumens et inflata (3).

Tametsi Chrysostomus in dialogo de Sacerdotio

(1) *Inst. or.*, X, 4.
(2) *Ib.*, 7.
(3) Cf. Migne, LII, p. 549, φέρε δὲ ἀπαντλήσω, etc.

Libanii urbanitatem et atticismum imitari videtur, ad insolitam tamen dictionem identidem accedit seu dicendi formam a poetis mutuatur, seu a Scripturis sacris voces novas ac inauditas necnon sententias saepe depromit. Hujusmodi ea sunt quae tractantur ut in iis disserendis oratio tum verborum nitore tum figurarum frequenti usu supra prosam facile surgat, quod de Platone dicere possis (1). Chrysostomus quidem, ut erat felicissimo ingenio varii generis vocabula in libris de Sacerdotio adhibuit. Licet primum invenias apud eum nonnulla verba quae forsan aliquis magis ad poeticam quam ad prosam orationem pertinere crediderit. Cujus generis sunt voces νέφος, σκόπελος, τραῦμα etc. Notanda quoque vox καλαύροπος quam Hoeschelius ab Homero usurpatam fuisse animadvertit in eodem sensu quo Chrysostomus eam adhibuit (2). Afferri potest verbum νιφάδος quod Chrysostomus plurali numero, Homeri exemplo, orationi suae inserere non dubitavit (3). Alias composuit verba haud alio modo atque poetae, quum, verbi gratia, περίδακρυν ὄντα scribit loco περιδακρύοντα. Nonnumquam e duabus vocibus idem significantibus quarum una ad poeticam, altera ad solutam orationem pertinet, priorem usurpat. Sic verbo ἁγνός pro dominanti vocabulo καθαρός, vel αἴνιγμα pro communi voce αἰνιγμός utitur. In his Chrysostomus multum detraxit ab Homero

(1) V. C. Baron. *De Platonis genere dicendi*

(2) *Libri sex de saeerdotio.* Notæ.

(3) V. notam commentatoris Hoesii Migne, CXVII, p. 696.

quem sane imitatus est in hoc scito : καὶ ἀντιλαμπέτω μὲν ἡλίῳ τῶν ὅπλων ὁ χαλκός (1). » Ceteroquin illae poeticae voces, ut plerumque aptissimo loco collocantur, ita non sunt adeo frequenti usu ut legentis animum offendant.

Majorem Chrysostomus adhibuit curam in figuris inserendis quae rebus nitorem quemdam poeticum praestant. Natura profecto pronus erat ad ea quae scribebat splendido vestitu decoranda quo fit ut oratio florentem pictamque speciem praebeat. Praeterea sentiebat optime graecorum subtiles animos nulla re magis quam imaginibus descriptionibusque deleniri posse. Quamobrem in dicendo non tam disputavit quam egit. Quod facile fateberis, si narrationes quasdam homiliis ejus insertas percensere volueris. Singula depingere contendit ideoque interdum legentis vires potius frangit quam recreat (2).

At vero in dialogo de Sacerdotio his fere numquam deliciis indulsit, semperque similia arcessivit ea tantum mente ut res clariore in luce collocarentur. Imprimis verbis translatis haud raro usus est. Est enim cuique insitum quae animo excogitantur cum iis quae sensu percipi possunt saepe conferre, resque jam proprio nomine signatas per novas imagines exprimere. Cujus rei multa exstant exempla apud Chrysostomum. Quum de difficultatibus disserit quibus mater vidua

(1) ἀμφὶ δὲ χαλκὸς ἐλάμπετο, εἴκελος αὐγῇ
ἢ πυρὸς αἰθομένου, ἢ ἠελίου ἀνιόντος.
(*Iliad.*, XXII, v. 135.)

(2) Cf. *Hom in S. Babylam.*

implicabatur, eam sic loquentem inducit : « τὴν σιδηρᾶν τῆς χρείας οὐκ ἔφυγον κάμινον ». Solet Chrysostomus ambitionem quo laborant sacerdotes cum fera immani aut ardenti igne comparare. Aut alio in loco de vigilantia sacerdotis disputat eumque depingit armis diamantinis (ἀδαμαντίνοις ὅπλοις) undique indutum.

Nonnunquam et allegoriae producuntur quibus res legentium oculis majore vi subjiciantur. Effingit sacerdotem maris fluctibus ventisque agitatum vixque effugientem hunc scopulum quem, ut apud Homerum (1), immanes incolunt belluae quas mendacium, hypocrisim, voluptatem appellat (2). In quo allegoriae genere nihil miscet Chrysostomus quod mentem figurarum repentina novitate concutiat. Namque, verbi gratia, postquam disseruit de periculo quod subeundum est si quis ad gubernacula navis mercibus onustae constituitur imperitus, nullo modo potest offendi animus quum verborum translatione in sacerdotem cui animae custodiendae committuntur ea quae de navis gubernatore jam fuerunt dicta, transferuntur (3).

Similitudinibus fusius explicatis Chrysostomus utitur crebris in quibus inveniendis sane mirus est, sed multo mirabilior artifex in tractandis. Duo exempla afferre volumus quo magis perspiciatur quanta cum arte orationem suam aptis collationibus distinxerit. Ei in animo est hanc veritatem in lucem proferre, sci-

(1) Cf. *Odyss.*, XII, v. 73 et seqq.
(2) III, 9.
(3) III, 7.

licet homines seorsim ac in otio vitam agentes, vitiorum suorum tegmen habere solitudinem, abductos vero in medium animos omni mendacio nudos exhibere. « Καὶ γὰρ ἀθλητής, ἕως μὲν ἂν οἴκοι μένῃ καὶ μηδενὶ συμπλέκηται, δύναιτ' ἂν λαθεῖν, κἂν ἀσθενέστατος ὢν τύχῃ · ὅταν δὲ ἀποδύσηται πρὸς τοὺς ἀγῶνας, ῥᾳδίως ἐλέγχεται, καὶ τῶν ἀνθρώπων τοίνυν οἱ μὲν τὸν ἰδιωτικὸν τοῦτον καὶ ἀπράγμονα βιοῦντες βίον, ἔχουσι παραπέτασμα τῶν ἰδίων ἁμαρτημάτων τὴν μόνωσιν · εἰς δὲ τὸ μέσον ἀχθέντες, καθάπερ ἱμάτιον τὴν ἠρεμίαν ἀποδῦναι ἀναγκάζονται, καὶ πᾶσι γυμνὰς ἐπιδεῖξαι τὰς ψυχὰς διὰ τῶν ἔξωθεν κινημάτων (1). Alio in loco de ratione loquitur qua sacerdos ad munus suum respicere debet, illaque eleganti comparatione utitur : « Ὥσπερ ἐν τοῖς πολέμοις τοὺς γενναίους τῶν στρατιωτῶν ὁρῶμεν καὶ πολεμοῦντας προθύμως, καὶ πίπτοντας ἀνδρείως, οὕτω καὶ τοὺς ἐπὶ ταύτην ἥκοντας τὴν οἰκονομίαν, καὶ ἱερᾶσθαι καὶ παραλύεσθαι τῆς ἀρχῆς, ὡς Χριστιανοῖς ἐστὶ προσῆκον ἀνδράσιν, εἰδότας, ὡς ἡ τοιαύτη καθαίρεσις οὐκ ἐλάττοντα φέρει τῆς ἀρχῆς τὸν στέφανον. (2) »

Denique Chrysostomus multa de Scripturis detraxit quae dialogo suo insereret. Neque tantum vocabula hujusmodi in medium protulit, verum etiam sententias quas tam callide ac concinne perpetuae admiscet orationi ut gemmas purpurae, ut scribit aliquis, non assutas verum ibi natas dicas (3). In Scripturis quidem nonnullae sunt voces quas frustra apud scriptores atticos requiras seu quia novae finguntur ut θεότης, εἰδωλολατρεία, seu quia alia prorsus ratione adhi-

(1) III, 14.
(2) III, 11.
(3) V. *Epist.* Erasmi Christophoro a Stadio, Augustae Vind. Lib. XXVIII, ep. 4.

bentur ut ἀγαλλίαν pro voce χαίρειν aut σκανδαλίζειν quod verbum, quum primum pedis offensionem significaret, a Patribus usurpatur ut eo animi offensio quaedam subintelligatur.

Quoad sententias quas Chrysostomus e Scripturis deprompsit, aliae quidem de verbo ad verbum transcribuntur, aliae vero, verbis quibusdam mutatis, proferuntur ut in hoc scito : « Τίς ἄρα ὁ πιστὸς δοῦλος καὶ φρόνιμος, ὃν κατέστησεν ὁ κύριος αὐτοῦ ἐπὶ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ » in quo verba ἐπὶ τὴν οἰκιαν αὐτοῦ apud evangelistam ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ leguntur. Saepius enim Patres in citanda Scriptura satis habebant sensum tantum expressisse. Nonnullis vero in locis Scripturarum testimonia tanta arte orationi admiscentur ut vix ea sejungere possis ipsoque ab auctore proficisci credas. « Διὰ τί γὰρ υἱοῦ καὶ μονογενοῦς οὐκ ἐφείσατο ὁ Θεός, ἀλλ' ὃν μόνον εἶχεν, ἐξέδωκεν; ἵνα τούς ἐχθρωδῶς πρὸς αὐτὸν διακειμένους ἑαυτῷ καταλλάζῃ καὶ ποιήσῃ λαὸν περιούσιον. (1) » Ex his omnibus intelligere queas Chrysostomum miram solertiam adhibuisse in libris componendis summaque elaborasse ratione ut varietati rerum verborum sententiarumque varietatem adjungeret.

Nunc ad Chrysostomi orationis formam atque structuram enodatius explicandam accedamus. Imprimis pauca dicenda sunt de verborum delectu ac conjunctione. Iis nominibus quae vim aut facultatem aut consuetudinem significant potissimum delectari videtur Chrysostomus eaque saepe pro ceteris ejusdem significationis in libris suis inserit. Ita, Platonis

(1) Cf. Rom., 8-32. Joh., 3-16 et Tit.. 2-14.

exemplo, haud semel vocabula in κός desinentia quibus agendae rei facultas exprimitur, usurpat. In ejus dialogo fere nullus est locus quo non reperias hujusmodi nomina ut ἰατρικός, φορτικός, λογικός, βιωτικός, διορατικός, etc. Illud quoque notandum est Chrysostomum saepe vocabulis usum fuisse quae genus quoddam bene dicendi efficiant ut demunitis nominibus aut vocabulis in ιος cadentibus.

In verbis conjungendis nihil quidem effecit plerumque ut aliquid putidi praeberet aut legentis acumen repentino ictu conculeret. Itaque disparium vocum copulationem in libris de Sacerdotio prorsus repudiavit. In id solum studuisse videtur Chrysostomus ut verba usurpata quam aptissime inter se coalescerent sententiasque quam optime illustrarent. Attamen, ut Plato ipse, prorsus quidem raro, vocabula eodem fonte cadentia adhibuit, in quo sane sophistas quos audiit, imitatus est. Ita hujusmodi nonnulla apud eum reperias ut, φυγεῖν τὴν φυγὴν, κερδαίνειν κέρδος, τιμᾶν τὴν τιμὴν, πλήσσειν πληγὴν, ἁμαρτεῖν την ἁμαρτιαν, πολλοὶ πολλάκις. Nonnumquam duo vocabula eumdem sonum referentia conjunxit ut οὐδαμόθεν ἄλλοθεν, aut pari modo incipientia ut ἐπισκιάζεν ἐπιχειρεῖν, aut usurpavit verba aliquid commune significantia quae conjuncta iterum atque iterum protulit ut ἐχθροι καὶ πολέμιοι. Rarius vero verba verbis opposuit ut μικρὰ μεγάλα ποιοῦντες, ἐξ ἀτίμων ἔντιμοι γεγονότες.

Quod attinet ad enuntiata quae sententiam complexione quadam verborum continent, nihil prorsus inso-

(1) *Quintil.*, X, 1.

liti scriptoribusque graecis inusitati prae se fert Chrysostomus. Novit quidem omnia verba esse alicubi optima. At vero in eo non elaboravit ut vocabulum unum aut alterum inter cetera emineret. Si vero respexeris ad locum quem in enuntiato subjectum obtinet aut verbum aut objectum, reperies Chrysostomum alium in aliis sententiis ordinem adhibuisse. Nonnumquam in initio ponitur subjectum, verbo in finem detruso, ut in hoc enuntiato : ἡ δὲ παρθένος ἐπὶ μείζοσιν ἀπεδύσατο. In aliis sententiis initium obtinet objectum : τὸν Ἰούδαν ὁ θεὸς ἐξελέξατο. Quod minus fit aut saltem rarius quoties objectum dativus est aut nomen cum praepositione. Multae sententiae a verbo ordiuntur : Ἐρωτᾷ τὸν μαθητὴν ὁ διδάσκαλος. In verbo enim quasi tota sententia contrahitur ut ceterae orationis partes tantum amplificent quod verbum contineat. Pleraque tamen enuntiata ordiuntur a conjunctionibus, aut adverbiis qualia sunt οὐκοῦν, μάλιστα, εἶτα, ἐνταυθα καὶ, ἀλλὰ, γὰρ, etc.

Nunc vero qua ratione Chrysostomus enuntiata inter se copulaverit, quomodo sententiarum periodum aedificaverit, breviter exponendum est. Auctor quippe qui dialogum cum amico habitum comminisceretur, sermonem facilem quo in communi lingua utimur, non tamen majestate rerum neglecta, usurpare debuit. Chrysostomus quidem, ut in sententia componenda raro tantum verba verbis opposuit, ita in periodo struenda multo libentius enuntiata enuntiatis apponere studuit : quam scribendi rationem in plerisque Platonem dialogis adhibuisse constat. Inde Chrysostomi phrasis prope ad Xenophonteum candorem

accedit ac simplicitatem ut in hac periodo quae poeticum quemdam colorem exhibet : ἐπειδὴ γὰρ ᾔσθετο ταῦτα βουλευόμενον, λαβοῦσά με τῆς δεξιᾶς, εἰσήγαγεν εἰς τὸν ἀποτεταγμένον οἶκον αὐτῇ· καὶ καθίσασα πλησίον ἐπὶ τῆς εὐνῆς ἧς ἡμᾶς ὤδινε, πηγάς τε ἠφίει δακρύων καὶ τῶν δακρύων ἐλεεινότερα προσετίθη τὰ ῥήματά, τοιαῦτα πρὸς ἡμᾶς ἀποδυρομένη (1).

Non ideo dicendum est Chrysostomum nullas adhibuisse artes in enuntiatis conjungendis. Recte aliquis dixerit eum feliciter fuisse usum tum infinitivis tum participiis, quibus id assecutus est ut phrasis non plus aequo tenderetur. Exempla afferre possumus tum infinitivi : Τὸν γὰρ ὁμολογήσαντα ἐπιτήδειον εἶναι πρὸς τὴν τοῦ πράγματος διοίκησιν τῷ σπουδάσαι λαβεῖν, οὐκ ἔστι μετὰ τὸ πιστευθῆναι, ἐν οἷς ἂν σφάλληται, καταφυγεῖν εἰς ἀπειρίαν ; (2) tum participii : ἐγὼ μὲν γὰρ ἐκ τῶν εἰρημένων τοσαύτην εὐλάβειαν, οἶμαι, τὰς τῶν ἀκουόντων κατασχεῖν ψυχάς, ὡς μηκέτι τοὺς φεύγοντας, ἀλλὰ τοὺς ἀφ'ἑαυτῶν προσιόντας καὶ σπουδάζοντας ταύτην ἑαυτοῖς κτήσασθαι τὴν τιμὴν (3). Multa hujusmodi apud Chrysostomum invenias ut cum jure credas hac periodi structura magnopere delectari.

Interdum auctor ita sententiam suam explicat ut in aedificanda periodo paria paribus respondeant extremaque eumdem sonum in cadendo saepe referant, quod dicitur Isocrates studiose consectatum esse. Hoc potissimum in illa comparatione deprehendas licet : καθάπερ γὰρ οἱ σωμάτων ἐρῶντες, ἕως μὲν ἂν πλησίον εἶναι τῶν ἐρωμένων ἐξῇ, χαλεπωτέραν τοῦ πάθους τὴν βάσανον ἔχουσίν, ὅταν δὲ ὡς ποῤῥωτάτω τῶν

(1) I, 2.
(2) IV, 1.
(3) III, 6.

ποθουμένων ἑαυτοὺς ἀπαγάγωσι, καὶ τὴν μανίαν ἀπήλασαν· οὕτω καὶ τοῖς ταύτης ἐπιθυμοῦσι τῆς ἀρχῆς, ὅταν μὲν πλησίον αὐτῆς γένωνται, ἀφόρητον γίγνεται τὸ κακόν, ὅταν δὲ ἀπελπίσωσι, καὶ τὴν ἐπιθυμίαν μετὰ τῆς προδοκίας ἔσβεσαν (1). Quo in exemplo fatendum est Chrysostomum artem exhibuisse miram. Omnia enim κῶλα utriusque membri comparationis apprime inter se quadrant. Quinque in priore, quinque in altero ita disponuntur ut rhetorum aemulum Chrysostomus sese praestitisse videatur.

Alias quidem sententias, particulis μὲν et δὲ adhibitis, Chrysostomus opposuit : Ἔχουσι μὲν γὰρ καὶ οἱ κρατοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς τὴν τοῦ δεσμεῖν ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμάτων μόνον· οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανοὺς (2).

Haud raro Chrysostomus enuntiatum principale in finem detrudit. Cujus structurae multa exstant in dialogo de Sacerdotio exempla in quibus conjunctio ὅτι, ut saepe apud Platonem, praenuntiatur : Ἐπεὶ ὅτι γε οὐ μικρὰν τὴν ζημίαν ἡμῖν ἐπήγαγες, οἶσθα καὶ αὐτός (3).

Alias quidem Chrysostomus ut majore vi probatum affirmet suum, verba et exempla congerit quae tum conjunctione aut negatione conjunguntur : Καὶ ταῦτα μὲν ὅταν ὑπὸ τῶν ὁμοταγῶν ἢ διὰ φθόνον, ἢ πρὸς ἑτέρων χάριν, ἢ πρὸς ἀπέχθειαν, ἢ ἑτέρῳ τινὶ μὴ ὀρθῷ τις ἐκβάλληται λογισμῷ (4) ; tum ἀσύνδετα relinquuntur : Εἰ δὲ ἄνθρωπος τῆς εὐθείας ἀποπλανηθείη πίστεως, πολλῆς δεῖ τῷ ποιμένι τῆς πραγματείας, τῆς καρτερίας, τῆς ὑπομονῆς (5).

(1) III, 11.
(2) III, 5.
(3) I, 4.
(4) III, 11.
(5) II, 4.

Ex hucusque dictis, non existimandum Chrysostomum hac simplicitate structurae ubique fuisse usum. Sunt quoque apud illum nonnullae sententiae quae paulo obscuriores videantur attentumque animum desiderent ut earum sensus plane intelligatur. Cujus structurae implicitae satis erit unum exponere exemplum, paulo quidem longius verum ita compositum ut auctoris ingenium in hoc genere recte aestimetur : Διὰ τοῦτο καί τις ἀνὴρ σοφώτατος, εἴς τε τὸ φιλοκερδὲς καὶ τὸ ὑπεροπτικὸν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἀπιδὼν καὶ τῆς πενίας τὴν φύσιν καταμαθών, δεινὴν οὖσαν καὶ τὴν γενναιοτάτην ψυχὴν καταβαλεῖν καὶ πεῖσαι περὶ τῶν αὐτῶν ἀναισχυντεῖν πολλάκις, ἵνα μή τις αἰτούμενος παρ' αὐτῶν ὀργίζηται, μηδὲ τῷ συνεχεῖ τῆς ἐντεύξεως παροξυνθεὶς πολέμιος, ὁ βοηθεῖν ὀφείλων, γίνηται, παρασκευάζει προσηνῆ τε αὐτὸν καὶ εὐπρόσιτον εἶναι τῷ δεομένῳ, λέγων· Κλῖνον πτωχῷ ἀλύπως τὸ οὖς σου... καὶ τὸν παροξύνοντα ἀφείς, — τί γὰρ ἄν τις τῷ κειμένῳ λέγοι; — τῷ δυναμένῳ τὴν ἐκείνου φέρειν ἀσθένειαν διαλέγεται, παρακαλῶν, κ. τ. λ... (1).

Haud infitiari potest quin in hac periodo multo cum labore enuntiatum principale quaerendum sit. Quod si quis in medium proferre voluerit, hac ratione componet : Διὰ τοῦτο καὶ τίς ἀνὴρ σοφώτατος — παρασκευάζει- — λέγων — καὶ — διαλέγεται παρακαλῶν.

Nonnulla sunt in hisce libris de Sacerdotio quae, quo magis illustria sint, verborum accessionem desiderent ac requirant Sic in his sequentibus ὡς ἕως ἂν τοῦτο ἀπῇ, μὴ ὅτι μέμψεις καὶ αἰτίας ἐπάγειν, ἀλλὰ καὶ ἀποδέχεσθαι τὸν ἀπατῶντα δίκαιον ἂν εἴη τούς γε εὐγνωμόνως διακεῖσθαι βουλομένους (2), videtur vir eruditus Seltmannius verba μὴ ὅτι merito

(1) III, 16.
(2) I, 5.

explicare dum ea sic evolvit μὴ νομίσῃς ὅτι δίκαιον ἂν εἴη μέμψεις ἐπάγειν (1).

Adde quod Chrysostomus saepius subtrahit verba quae, si attentum animum dederis, in locum aptum facile restitues.

Priusquam vero institutum nostrum absolvamus, operae pretium est nonnulla exponere de iis figuris quae concitatam efficiunt orationem quasque Chrysostomus in libris suis frequens adhibuit. Imprimis crebris usus est interrogationibus et compellationibus quibus fit ut sermo numquam elanguescat. Verum apud eum multiplex habet schema interrogatio varietatisque plena est. Plerumque simplex est ut in hoc enuntiato : βούλει καὶ ἐξ ἑτέρου θαύματος τῆς ἁγιαστίας ταύτης ἰδεῖν τὴν ὑπερβολήν ; aut indignationi inservit quum, exempli gratia, Chrysostomus eos qui dicta Pauli afferunt ne scientiam consectentur, hisce verbis arguit : πῶς οὐ φρίττουσιν ἀνδρὶ τηλικούτῳ παραβάλλοντες ἑαυτούς ;

Nonnumquam compellatione utitur Chrysostomus tanquam genere quodam acrius imperandi ut amicum suum redarguat. Haud aliter, postquam sacerdoti subeundas difficultates exposuit, Basilium alloquitur : Εἰς τοσοῦτον οὖν ἡμᾶς ἐκπέμπεις πόλεμον ; καὶ πρὸς μάχην οὕτω ποικίλην καὶ πολυειδῆ τὴν ἡμετέραν ἐνόμισας ἀρκέσειν ψυχήν, πόθεν, καὶ παρὰ τίνος μαθών ; Alio in loco, Chrysostomus, tanquam subito correptus tremore, veniam sibi precatur verbisque ardentibus exclamat : Πόθεν γάρ ἐστιν ἐλπίσαι σωτηρίαν ; πόθεν συγγνώμης τυχεῖν ; τίνες ἡμᾶς ἐξαιτήσονται τότε ; Aut sese compellat ipsum ut sen-

(1) *De sacerdotio libri sex*, p. 36.

tentiam suam enodatius explicet. De feris loquitur a quibus sacerdoti cavendum est ac subita interrogatione haec : τίνα δέ ἐστι τὰ θηριά ; subdit ; inde profectus de iisdem pluribus verbis disserit.

Saepenumero Chrysostomus, ut animum audientis in res intentiorem efficiat, ad verborum repetitionem se convertit, ut οὐκ ἔστι ταῦτα, οὐκ ἔστιν, δεινὸν γὰρ ἀληθῶς, δεινὸν et alia similia.

Neque Chrysostomus a fictionibus personarum colloquentiun abstinet. Eos qui vi ad clerum trahuntur non ideo poenis esse immunes hoc dialogo probat : οὐκ ἔτ' ἂν δύναιτο λέγειν ὁ ἑκὼν καὶ ἐθελοντὴς ἐπὶ τοῦτο ἐλθὼν, ὅτι ἄκων τὸ δεῖνα ἥμαρτον, καὶ ἄκων τὸ δεῖνα διέφθειρα. Ἐρεῖ γὰρ πρὸς αὐτὸν ὁ ταύτην αὐτῷ τότε δικάζων τὴν δίκην· Καὶ τί δήποτε συνειδὼς ἑαυτῷ τοσαύτην ἀπειρίαν, τίς ὁ καταναγκάσας ; τίς ὁ πρὸς βίαν ἑλκύσας ἀποπηδῶντα καὶ φεύγοντα (1).

Ex his supra dictis intelligi potest Chrysostomum non in res solum tractandas, verum in formam etiam orationis multum studii contulisse ut magnam vim cogitandi cum pari scribendi arte feliciter conjunxerit. Illud vero quo facilius appareat, hic volumus subjicere splendidam illam Eucharistiae imaginem quam summa cum verborum majestate summaque sententiarum elatione auctor noster expressit. « Ὅταν γὰρ ἴδῃς τὸν Κύριον τεθυμένον, καὶ κείμενον, καὶ τὸν ἱερέα ἐφεστῶτα τῷ θύματι καὶ ἐπευχόμενον, καὶ πάντας ἐκείνῳ τῷ τιμίῳ φοινισκομένους αἵματι· ἆρα ἔτι μετὰ ἀνθρώπων εἶναι νομίζεις καὶ ἐπὶ γῆς ἑστάναι, ἀλλ' οὐκ εὐθέως ἐπὶ τοὺς οὐρανοὺς μετανίστασαι, καὶ πᾶσαν σαρκικὴν διάνοιαν τῆς ψυχῆς ἐκβαλὼν γυμνῇ τῇ ψυχῇ καὶ τῷ νῷ καθαρῷ περιβλέπεις τὰ ἐν οὐρανοῖς ; Ὢ

(1) IV, 1.

τοῦ θαύματος! ὢ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας! ὁ μετὰ τοῦ Πατρὸς ἄνω καθήμενος, κατὰ τὴν ὥραν ἐκείνην ταῖς ἁπάντων κατέχεται χερσί καὶ δίδωσιν αὐτον τοῖς βουλομένοις περιπτύξασθαι καὶ περιλαβεῖν, ποιοῦσι δὲ τοῦτο πάντες διὰ τῶν ὀφθαλμῶν (1) τότε ἆρά σοι τοῦ κατα φρονεῖσθαι ταῦτα ἄξια καταφαίνεται, ἢ τοίαῦτα εἶναι, ὡς δυνηθῆναί τινα καὶ ἐπαρθῆναι κατ' αὐτῶν. (2)

Superest ut ea, quae de opere Chrysostomi disseruimus, jam in unum omnia contrahamus. Constat profecto celebratissimum illum Patrem in hisce libris ingenium facile et copiosum, multam rerum cognitionem et inventionem exhibuisse. Ubique elatum spiritum praebuit clarasque sententias quas tanta auctoritate explicandas curavit ut neminem illo in talibus rebus tractandis diligentiorem fuisse diceres. Tanta quidem in eo inest gravitas, tanta vis ut iis quae disputavit magnam adjecerit fidem. Neque valde reprehendendus est si quis asseverare vult eum orationem fere parem et aequalem rebus ipsis praestitisse. Sane veterum Graeciae scriptorum excellentiam non assecutus est. Eum vero cum praestantissimis Patribus jure conferre possis. Nazianzenus quidem paulo floridiorem orationis formam amplexus est remque semper felicissime gessit. Significantibus vero delectatur argutiis verborumque aucupiis nimis interdum inservit. Hujus dictionis ad Isocraticam concinnitatem accedit. Velis tamen eum scholam rhetoricam minus

(1) Cf. hos versus ex hymno SS. Sacramenti.

Quod non capis, quod non vides
Animosa firmat fides
Praeter rerum ordinem.

(2) III, 4.

resipere. Magnus Basilius pleraque ornamenta despexit. Nihil in eo arcessitum, nihil putidum. Ea jucunditas, ea perspicuitas ut omnia tanquam e puro fonte effluere videantur.

Chrysostomus, si tantum ex illo dialogo de Sacerdotio aestimetur, videtur orationis formam exhibuisse quam exemplar proferre possis. Ita enim feliciter opus suum exaravit ut naturam magna cum arte conjunxerit. Admirabilis quidem in affectibus movendis, pulchram ubique numerosamque dictionem effinxit quae tamen perpetua contentione ac tenore aequabili numquam fastidiret. Est ubi simplex dicendi genus, elegans ac venustum praestitit ut Xenophontem aut Lucianum credas legere. Nonnumquam scribendi vi atque disserendi acumine oratori similis qualis postea, apud populum Antiochiensem aut Constantinopolitanum, ingenio tamen minus aequo, concionator exstitit. Insurgit saepe, adjuvantibus rebus, et figuris et verbis felicissime exsultat orationemque poetico generi cognatam assequitur ita tamen ut ad materiam apte congruenterque semper dixerit. Namque Chrysostomus, ut ingenio suo sane indulsit, ita quoque sibi imperare novit.

Forsan eum aliquis reprehenderit quod nonnullis in locis redundat ac diffluit, ut, verbi gratia, in illa belli descriptione in qua sonora verba coruscasque imagines ita congerit ut ad artes declamatorias plus aequo accedere videatur (1).

(1) VI, 12.

Haec vero in ejus opere admodum pauca sunt et sane admirandum est felix illud ingenium quod, in tantis rebus disserendis, in leves solum incurrerit reprehensiones seseque prope ab omni parte absolutum praestiterit.

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XV. Kal. sept. ann. MDCCCC
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi
Decanus,

A. Croiset.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis Rector,

Pour le Vice-Recteur,
L'inspecteur de l'Académie,

Niewenglowski.

ERRATA

Page 4, note 1, ligne 9, *au lieu d'*Erasumus *lire* Erasmus.

Page 6, ligne 3, *au lieu de* proemio *lire* prooemio.

Page 22, à la fin de la note, *au lieu de* Heft *lire* Heft I.

Page 53, ligne 2, *au lieu de* culpans *lire* culpatus.

Page 55, ligne 23, *au lieu d'*alieni *lire* alicui.

Page 63, ligne 6, *au lieu de* tandis *lire* tantis.

Page 65, note 4, *au lieu de* Himerii, Opera *lire* Himerii Opera.